


LEHRHAN  
C. H. KÜHN

Philosophie  
Gesellschaft

POWELL

Nº A  
3 - 440



*Philosophia Aristotelica  
Commentaria Doctorum Societatis Jesu illustrata  
Selectae questionibus proposita, expedita  
P. Joanne Seneftileben Soc. Jesu.  
M. 1700.*

PHILOSOPHIA  
ARISTOTELICA,

Commentarj<sup>s</sup> Doctorum

Societ: JESU illustrata

selectis

T H E S I B U S

Proposita, expositaque

PLA

P. JOANNEM SENFTLEBEN  
e Societate JESU

In Universitate Carolo-Ferdinande<sup>a</sup> Pragensi

Nuper Philosophiae Professore<sup>m</sup>  
Ordinarium ac publicum.

*Tomulus* *tertius.*

PRAGAE

Typis Universitatis Carolo-Ferdinandea in Coll. Soc. Jesu et S. Clementem.  
Anno M. DC. LXXXV.

PHILOSOPHIA  
ARISTOTELICA,

Commentarijs Doctorum  
Societ: JESU illustrata

*selectis*

THESIBUS


Proposita, expositaque

Per

P. JOANNEM SENFTLEBEN  
è Societate JESU

In Vni-versitate Carolo-Ferdinande a Pragensi.  
Nuper Philosophiae Professorem  
Ordinarium ac publicum.

*Tomulus tertius.*



PRAGÆ

Typis Universitatis Carolo - Ferdinandea in Coll. Soc. JESU ad S. Clementem.  
Anno M. DC. LXXXV.

FACULTAS  
R. P. Provincialis Societatis JESU  
per Provinciam Bohemiam.

CUM Opusculum tripartitum ( cui  
Titulus : *Philosophia Aristotelica,*  
*Commentarijs DD. Soc. JESV illustrata,*  
*selectis Thesibus proposita , expositaque* )  
à P. Joanne Senftleben Nostræ Societatis Sacerdote conscriptum , tres E-  
jusdem Societatis Doctores recogno-  
verint , ac in lucem edi posse judicave-  
rint : potestate ab Admodum Reveren-  
do Patre Nostro Carolo de Noyelle  
Præposito Generali ad id mihi datâ , fa-  
cultatem concedo , ut typis mandetur ;  
in quorum fidem has literas manu  
meâ subscriptas , & sigillo Officij mei  
munitas dedi Kossumbergæ 7. Augu-  
sti, Anno 1684.

(L. S.)

BARTHOLOMÆUS  
CHRISTELIUS.

VIRGINI DEI-PARÆ  
IN MONTE SANCTO  
AD PRZIBRAM  
IN REGNO BOHEMIÆ  
miraculis Inclytæ :  
REGINÆ POTENTISSIMÆ  
ex subjectione debita  
mancipium :

PATRONÆ  
BENEFICIENTISSIMÆ  
ex innumeris gratijs  
cliens :

MATRI  
PROVIDENTISSIMÆ  
ex toto affectu  
filius :


MAGISTRÆ  
SAPIENTISSIMÆ  
ex studijs omnibus  
obligatus discipulus :

SOSPITATRICI  
THAUMATURGÆ  
ex recuperata valetudine  
itterum, literumque voti reus,  
torus

D. D. D.

THESES  
LIBRIS  
EX  
DE  
MUNDO ET COELO  
DE  
ORTU  
ET INTERITU  
DE  
ANIMA  
&  
LIBRIS  
METAPHYSICO-  
RUM.

JOANNES SENFTLEBEN



## THEISIS I.

Non repugnat existenti Mun-  
do, quem incolimus, coëxistere plures  
alios; sive numero, sive specie diversos.

Ita. S. Ambros. l. 2. Hexam. c. 2. S. A-  
than. Orat. 2. contra Idola. D. Iustinus M. as.  
Philosophus in l. de quorundam decretorum A-  
ristot. reprehensione ad c. 9. l. 1. de Cælo & alij.

PP. Conimbricenses in lib. 5. de Cælo. c.

10. q. 1. a. 2. & q. 3.

S. I.  
Probatur Thesis.

**S**THOMAS 1. p. q. 25. a. 5. ait: *Quando-*  
*finis est proportionatus rebus, propter fi-*  
*nem factis; sapientia faciens limitatur*  
*ad aliquem determinatum ordinem. Sed Divi-*  
*na Bonitas est impropositioinaliter excedens res*  
*creatas. Vnde Divina Sapientia non determi-*

A

natur

2. Non repugnat existenti Mundi  
natur ad aliquem rerum ordinem , ut non possit  
alius cursus rerum effluere. Vnde dicendum est  
simpliciter , quod DEUS potest alia facere , quam  
qua fecit. Sic ille.

Probaturetiam ratione. Non repugnat ex parte DEI producentis : quia ejus Virtus est  
Infinita , & Omnipotens ; hoc est : omnia po-  
tentia , quae non involvunt contradictionem.  
Sed neque repugnat ex parte producendorum;  
cum quia Mundi plures possent sic coordina-  
ri , ut iste : cum quia Mundos esse plures , non  
involvit contradictionem in terminis ; hoc est  
in coniunctione praedicti pluralitatis cum  
Mundo , utsi pote subjecto . nec enim conceptus  
praedicti , evertit conceptum subjecti : alias  
DEUS Omnipotentissimus nec uno destruendo  
posset producere alterum ; adeoque Infinita  
Omnipotentis Virtus , ad unum finitam perfe-  
ctionis Mundum productum , finita fuisset ac  
limitata. Non est denique implicantia in ter-  
minis , quod plura aggregata , ad diversos fi-  
nes proximos ordinata , plus ultram ordinentur  
ad unum finem ultimum. videmus enim plura  
Regna subesse uni Regi : plures Provincias ,  
&c. sibi pares , quoad cetera a se invicem in-  
dependentes , ordinari ad unum Principem :  
plures exercitus ad eandem victoriam , &c.  
ergo , &c.

5. II.

coexistere plures alios , &c.

3

§. II.  
Solvuntur Objectiones.

Objicies primò ex Aristot. l. 5. de Cœ-  
lo. à t. 36. Elementa alterius Mundi natura-  
liter tenderent ad idem centrum , ac peripheri-  
am , ad quam tendunt nostra ; ergo etiam na-  
turaliter à suo centro , ac peripheria , dimove-  
rentur. quando enim est naturalis motus in-  
terminum ad quem , tunc etiam est connatu-  
ralis motus ex termino à quo. Atqui talis  
motus illis Elementis esset quoque violentus :  
quia omni gravi est connaturale , moveri ad  
suum centrum , &c. ergo Elementa alterius  
Mundi violentè amoverentur à suo centro ,  
ad centrum nostri Mundi. ergo idem motus  
esset connaturalis , & violentus ; ergo repu-  
gnat , &c. Resp. List. A. nisi DEUS , Autor  
naturæ , illis imprimenter inclinationem ten-  
dendi ad centrum , ac peripheriam sui Mundi  
C.A. si imprimetur N.A. & C. At verò DE-  
US Omnipotentissimus , qui hanc terram e.  
g. fundavit super stabilitatem suam : posset &  
aliam fundare ; ceterisque Elementis , ac cor-  
poribus , imponere alium ordinem connatura-  
lem : ut tenderent ad distinctum centrum , aut  
peripheriam sibi præfixam , & à nostro Mun-  
do distinctam. quælibet enim res habet incli-  
nationem naturalē , quam recipit ab Autore na-

A 2

EMILÆ.

**4 Non repugnat existenti Mundo**

turæ. Deinde: nulla res participans formam aliquam, appetit similem specie: quia jam habet totam illius formæ perfectionem. Ergo terra e. g. possidens centrum suum Mundi, non appeteret centrum alterius: quia esset ejusdem speciei.

Urgebis. Si Deus Elementa alterius Mundi disponeret alio ordine, iisque inderet aliam inclinationem, ac tendentiam; tunc illa essent similia Elementis nostri Mundi; ex supposito; & non essent: quia sic haberent aliam formam. **ordō enim est instar formæ.** Ergo adhuc repugnat. Resp: Dist. A. essent similia quoad substantiam, & non essent quoad accidentia. C. A. essent similia, & non essent similia secundum idem N. A. Elementa illa haberent similem formam substantialem e.g. terra; possent etiam convenire in genere gravitatis, de ratione cuius est tendere ad centrum. Sed in eo essent accidentaliter dissimilia: quod e.g. illa terra tenderet ad centrum sui Mundi (specie non diversum ab altero) terra autem nostra, tenderet ad centrum nostri Mundi. Idem cum proportione dic de forma e. g. ignis, ejusque levitate; de ratione cuius est tendere ad peripheriam.

Rectè etiam diceretur cum PP. Conimbris censibus; Elementa habere inclinationem [intellige essentialiem, ac intrinsecam] ad centrum,

*coexistere plures alios, &c.*

trum, aut peripheriam indefinitam, indifferenterem, ac per se indeterminatam: ut si cuncte, etiam alterius Mundi centro, conjungerentur, quiescerent; neque ad centrum Mundi nostri, aut peripheriam niterentur transire; ac proinde Elementa gravia, ratione gravitatis, intrinsecè determinantur, ut tendant ad centrum; extrinsecè verò, ex ordinatione DEI omnia disponentis, habent hoc, quod potius ad hoc numero centrum tendant, quam ad aliud. Ordo intrinsecus est per modum formæ intrinsecæ: ordo extrinsecus per modum formæ extrinsecus determinantis. ergo si haberent alium ordinem ab intrinseco, essent intrinsecè dissimilia: nou item, si duaxat alium ab extrinseca determinatione.

Objicies secundò ex S. Thoma. I. p. q. 47. art. 3<sup>o</sup> in O. Mundus iste unus dicitur unitate ordinis, secundum quod quædam ad alia ordinantur. quæcunque autem sunt à DEO, ordinem habent ad invicem, & ad ipsum DEUM. Unde necesse est, quod omnia ad unum Mundum pertineant. Et ideo illi potuerunt ponere plures Mundos, qui causam Mundi non posuerunt aliquam Sapientiam ordinantem, sed casum; ut Democritus: qui dixit ex concurso atomorum factum esse hunc Mundum, & alios inservios, ergo S. Th. expresse docuit: tantum esse possibilē uni-

cum Mundum. Resp. Dist. C. unicum unitate ordinis Con. Cons. unicum unitate aggregationis Nego Cons. Ex toto hocce contextu, nihil aliud patet: quam quod S. Thomas Mundi nomine intellexerit, universa existentia vinculo ordinis ad finem ultimum inter se connecti; quia implicat aliquid existere, quod ad unicum finem, DEUM, non ordinatur. Potest autem haberi talis orto, licet coexistant plura aggregata, sive numero, seu specie discriminata; ut patet in pluribus Civitatibus, Provincijs, &c. eidem Monarchiae subjectis, &c. Et nonne hic Mundus dicitur esse unicus, propter unicum ordinem: licet in eo reperiantur plura aggregata, montium, Provinciarum, &c. quæ in alijs à se invicem nequaquam dependent?

Urgebis. Est implicatio in terminis, ut dentur plura Universa; quia nullum completeretur omnia; ergo, &c. Resp: Dist. Ant. plura Universa simpliciter Con. plura Universa certo sensu accepta N. A. Nos huc Universum nomine cum Comimbricensibus q. 5. a. 2. intelligimus illud, quod ea complectitur, ex quibus unusquis Mundus coagmentatur.

Objicies tertio ex eodem S. Doctore L. 19. in 1. de Cœlo. Si DEUS faceret alios Mundos; aut faceret DEUS similes huic Mundo, aut dissimiles. Si omnino similes: essent fratera;

stræ; quod non competit Sapientiæ Illius. Si autem dissimiles: nullus eorum comprehenderet in se omnem naturam corporis sensibilis; & ita eorum nullus esset perfectus. Ita S. Thomas. Idem S. Doctor ibidem saepius repetit: non esse possibile, ut alias Mundus nostro coexistat; ergo, &c. Resp: N. Cons. S. Thom: in 1. parte textus citati loquitur ex hypothesi: quod DEUS crearet Mundos omnino similes; etiam quoad accidentiarum ordinem, ac inclinationem, quæ ferrentur gravia omnia ad idem numero centrum. Sic enim haud dubie e. g. gravia alterius Mundi frustrarentur suo fine immediato; siquidem ad centrum Mundi nostratis naturaliter transire non possent. In altera vero textus parte loquitur de dissimilitudine quoad primarias naturas, & gradus corporum genericos; qui sunt: esse, vivere, sentire. &c. [ vide 1. contra Gentes. cap. 85. & L. 3. ibidem cap. 71.] Si etenim plures Mundi conderentur, in quorum uno essent e. g. mera inasimata, in altero meza viventia tantum, in tertio mera sensitiva; nullus ipsorum esset perfectus, in ratione Universi sensibilis.

Ceterum: non loqui S. Doctorem de dissimilitudine, quæ provenit ex corporibus, aucturis tantum specie diversis; indè colligitur; tum quia alias nec Mundus noster esset

perfectus; siquidem in illo non existunt actu omnes species, sub ijs gradibus genericis possibles: quia alias existeret defacto creatura perfectissima; tum quia alias nec Mundus noster, in origine sua fuisse perfectus; siquidem absoluто 6. dierum opere, nondum erant milles viventium species, quae ex putri materia nascuntur; tum denique, quia Divina Bonitas, ac Perfectio, est Infinita; adeoque per se ceteri semper modo in infinitum imitabilis.

Objicies quartο. Juxta S. Augusti: DEUS non est Omnipotens temeritate Potentia, sed Virtute Sapientiae; quod etiā dixit S. Th: 1. p. q. 25. a. 5. ubi ait: cum DEI Sapientia & Omnipotentia idem sint: nihil potest esse in Divina Potentia, quod non sit in ordine Divinæ Sapientiae. Ergo DEUS nihil potest, quod non sit ordinatissimum. & quia ordo est forma ordinatorum: à forma autem procedit unitas; ergo DEUS non potest producere nisi unicum Mundum. Si enim existeret plures Mundi, eò ipso non ordinarentur ad invicem; adeoque essent deordinati, quod repugnat Divinæ Sapientiae. Resp. Dist. ultimum Cons. unicum unitate ordinis C. unicum unitate aggregationis N. C. non eò ipso, quod essent plures Mundi [hoc est plura aggregata corporum, qualia defacto dantur] deordinarentur; non enim officit ordini Sapientissi-

entissimo, quod plura sint aggregata creaturarum: aliud e. g. hominum, aliud Angelorum, &c.

Objicies quintο. Divina Sapientia omnia ordinans est unica; ergo & finis rerum, tum ultimus, tum proximus ac immediatus, necessariò est unicus. Atqui finis immediatus Mundi, est medium Universi, ad quod omnia ordinantur; vel ad illud tendendo, ut sunt gravia; vel ab eodem recedendo, ut sunt levia; ergo. Resp. N. 2. part. Cons. licet enim finis ultimus corporum sit unicus; non requiritur tamen necessariò, ut finis eorum proximus sit absolute unicus. Sic in Politicis non est idem finis proximus omnium Civitatum, uni Principi subjectarum: in intentionalibus, ac moralibus, non est idem finis proximus omnium scientiarum, aut virtutum; quia alias non distinguerentur inter se specie: specificantur enim à fine suo proximo. Ergo & alij Mundi possent habere singuli suum proptium centrum, tanquam finem immediatum; nec est necessarium, ut singulorum corpora, ad unum idemque numero centrum confluant; sed singula ad suum, sibi ab Autore naturæ præfixum.



## THESIS II.

Mundus non extitit ab aeterno; sed creatus est in, & cum Tempore.

Ita Doctores Societ. IESU, & Catholici Omnes.

## §. I.

Declaratur & Probatur nostra Conclusio.

**A**ristotelem docuisse: quod Mundus exstiterit ab aeterno, nec habuerit ullum existendi principium; plerique consentiunt: an vero id demonstrare, an probabiliter solùm adstruere conatus sit? dissentunt. Aliqui secundum affirmant ex S. Th. 1. p. q.46. a. 1, tum quia Aristoteles, de hoc loquens, inducit testimonia Veterum; quod non est demonstratoris, sed probabiliter tantum persuadentis; tum quia 1. Topicorum c. 9. dixit esse problema Dialecticum: utrum Mundus sit ab aeterno.

Alij

Alij primū tenent cum P. Perefio, cuius hæc sunt verba 1. 15. Phys. in Proemio. Quis tantum non omnino rudis, & ignarus scriptorum Aristotelis, legens 8. librum Physicorum, 1. de Cœlo, extremam partem lib. 2. de Generatione, postremam partem lib. 12. Metaph. non aperte videat: si quod est dogma apud Aristotelem, & Peripateticos certum & exploratum, firmum, tatum, & constitutum; hoc de aeternitate Mundi esse quam maximè. Subjungitq; ideo ab Aristotele id vocati problema Dialecticum, quod ab alijs in unamque partem disputaretur.

Evidem de mente Aristotelis hic partim solicitor, cum veritas mihi aliunde innotescat. Recolo etenim memoriam illud D. Thomæ L. 1. de Cœlo. Lect. 22. studium Philosophiae non est ad hoc, quod sciatur, quid homines senserint; sed qualiter se habeat veritas rerum. Certum mihi quoque est, quod Aristoteles id demonstrare nequaquam potuerit; cum veritas veritati non repugnet.

Dico igitur: Mundus non extitit ab aeterno; sed incepit existere in & cum tempore. Ita Catholici omnes. Certum hoc est ex Fide sancta, & revelatione Divina. Gen: 1. in principio creavit DEVS cœlum & terram. Joann: 1. Mundus per ipsum factus est. Joannis 17. Clarifica me Pater claritate, quam habui: prius

A 6

quam

quam Mundus fieret Idem definitivit Concilium Lateranense ultim. Ss. 8. sub Leone 10. quod etiam hunc Aristotelis errorem refutare praecepit. Obsequor &

Probo Conclusionem primò ad hominem. Juxta Aristotelem implicat infinitum actu: estque infinitum inconsusummabile; quia: ut ipse toties inculcat ) absolvit, ac pertransiri non potest. Atqui si Mundus fuisset ab æterno, ante hominem e. g. qui hodie existit: fuissent infiniti progenitores [ finiti enim non potuissent duratione suâ correspondere æternitati infinitæ; cum finiti ad infinitum nulla sit proportio ] & quia anima cuiuscunque hominis est immortalis, existerent hodie actu infinitæ animæ rationales; ergo,

Probo secundò: gemina fundamenta subruendo, quibus error Aristotelis innitur. Primum erat: quod judicaret impossibilem esse Creationem; juxta illud: ex nihilo nihil fit. Ostendo nunc possibilem esse DEO Creationem. Primò: quia tanto perfectius est agens, quanto paucioribus ad agendum eger. Atqui DEUS est Agens Infinitè Perfectius, quam quocunque agens limitatae perfectio-  
nis; ergo, &c. Ergo DEUS nec eger subje-  
cto, seu materiâ præacente; ergo potest ali-  
quid sine illo producere; ergo potest create. Secundò: quia si DEUS non posset producere aliquid

aliquid, nisi dependenter à præacente subje-  
cto, seu materia: Virtus Infinita DEI esset li-  
mitata, & adstringita ad materiam. Atqui ne-  
mo ita potuit limitare, non enim Ipse DE-  
US: cum nemo sibi ipsi malus sit; & alias DE-  
US debuisset existere antequā Suam Essenti-  
am ita limitaret, & adstringeret; non materia:  
quia hæc est effectus DEI, & consequenter  
DEO posterior; nec denique aliquid extra  
DEUM: quia alias id fuisset DEO potentius,  
aut saltem æquale; ergo, &c. Tertiò:  
quia modus operandi sequitur modum essen-  
di; & quam perfectum est esse, tam perfe-  
ctus est modus operandi. Atqui DEUS in  
Essè Suo à nullo dependet: nullam materiam  
prærequisit, &c. ergo.

Altera erroris scaturigo fuit: quod Aristoteles existimat, DEUM etiam ad extra age-  
re, ex necessitate naturæ, & non libertè; quod  
falsum esse evincitur i.º quia Deus ex Essentia  
Sua est Infinitè Bonus, & eminenter præcon-  
tinet omnem rationem boni: cum ille sit causa  
omnium; nemo autem dat, quod non habet i.  
ergo Voluntas DEI satiatur, & expletur in Vo-  
litione Suæmet Bonitatis; ergo non est nec es-  
satium, ut aliquid velit extra Se.

Confirmatur. Omnis effectus, necessariò  
volitus ab agente, vel est finis, vel ad finem il-  
lius obtainendum necessariò requisitus: hæc

enim solum habent rationem boni appetibilis. Atqui nihil extra DEUM est finis, aut medium ad finem DEI necessarium requisitum; quia Ipse DEUS sibi finis est, & in Se totam Beatitudinem Suam obtinet; cum sit in omni genere Incausatus, & à Se; ergo, Secundum: DEUS est Infinitae Virtutis; ergo si esset ad extram Agens necessarium, produceret actu infinitum; quia ageret, quantum potest, juxta ultimum Suæ Potentiae, ut patet ex definitione cause necessariae; ergo existeret defacto infinitum actu. Confirmatur: Mundi perfectio defacto est finita; ergo præter hunc poterat perfectiorem & perfectiorem producere. quia alias virtus infinita, producendo terminum perfectionis finitum, fuisse exhausta, & ad illum limitata; ergo DEUS libet Se determinavit ad hunc, præter alio possibili producendum; ergo, &c. Tertium: ista censetur esse perfectio hominis, quod habeat liberum arbitrium respectu eorum, in quibus non clare agnosceret esse omne ac sumum bonum. Ergo à potenti DEO hæc perfectio concedenda est; cum eam homo à DEO acceptam habeat. Confirmatur: DEUS ex Essentia Sua est Perfectissimus, ac Immutabilis; ergo non necessariò aliquid extra Se producit: quia per productionem cuiuscunque rei, nulla nova bona, ac perfectio intrinseca potest accedere. Denique Eſſe DEI, & volun-

& Voluntas Ejus idem est; cum DEUS sit essentialiter Simplicissimus, ergo sicut Eſſe DEI Perfectissimum, essentialiter est Independens ab omni alio extra Se; ita & Velle.

Probo Conclusionem tertio. Congruū erat, ut nihil esset aequale Deo in duratio;e; tum ut clarius pateret Ejus eminentia in omnib; tū ut manifestius constaret, Ipsum creaturis non cegere; tum ut certius ostenderetur, creature non esse entia necessaria, ac à DEO independentia: sed ab Illo esse productas; tum ut liqueret, DEUM esse Agens Liberum; tum ut Omnipotentia adoraretur profundius; siquidem omnia de non esse ad esse, Illius nutu ac potestate pervenerunt. Atqui DEUS agit, prout Ipsum magis decet, Illisque congruum est; ergo defacto Mundum non produxit ab aeterno,

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Omne quod de potentia reducitur in actum, mutatur. Atqui si DEUS ab aeterno non fuit causa actu producens Mundum; fuit in potentia ad illum producendum; & cum produxit Mundum in tempore, reductus est de potentia in actum. Ergo est mutatus; quod DEO Immutabili repugnat. Resp: Dist. Maj, quod de potentia passiva reducitur

16 *Mundus non extitit*  
ducitur in actum C. Maj. quod de potentia  
tantum activa reducitur in actum secundum  
N. Maj. Dist. similiter Min. & N. C. actio,  
seu operatio potentiae, recipitur in passo: non  
autem in agente; ut suo loco probavi. ergo a-  
gens, quæ agens, intrinsecè non mutatur. sicut  
ergo e. g. ignis, ex non calefaciente fit calefa-  
ciens, sine mutatione sui intrinseca: ita à po-  
tiori Primum Agens, DEUS, ex non produ-  
cente est producens, sine mutatione Sui intrin-  
seca; quia productio non recipitur in DEO  
Immutabili, sed in Mundo producto.

Ubi NB. auream Cardinalis Toleti doctri-  
nam ex q. 1. l. 8. Physic. c. 2. Juxta Aristotelem 6. Ethic: c. 5, aliqui actus perficiunt o-  
perantem: ut actus prudentiae, ceterique po-  
tentiae mutabili immanentes; aliqui actus  
perficiunt opus externum: ut actus artificium,  
ceterique tragiscentes. Unde etiam duplex  
est potentia. una ad perfectionem suam, seu  
ad actum immanentem, sui perfectivum: &  
hæc potentia secundum se dicit imperfectio-  
nem; nempe carentiam talis perfectionis. al-  
tera est potentia rei jam perfectæ; non ad se  
perficiendum, sed potestas ad perficiendum a-  
liud extra se: & hæc potius dicit perfectio-  
nem sui intrinsecam tam copiosam, ut diffusa-  
datur ad exteriora etiam perficienda. Sic ignis  
dum agit, & calefacit, non perficit se ipsum,  
sed pas-

17 *ab æterno.*  
sed passum; sic aurifaber perfectus, dum facit  
annulum, non se, sed annulum perficit, &c.

Objic: secundò. Omne, quod producit effe-  
ctum, autem non productum, acquirit de novo  
aliquam proportionem, ac habitudinem ad ef-  
fectum; aut saltè mutat voluntatem. Ergo  
si DEUS Mundum produxit in tempore, ac-  
quisivit novam voluntatem, aut propor-  
tionem, quam non habuit ab æterno; ergo mu-  
tatur: quia aliter Se habet. Resp: N. A. quia  
agens, quæ agens, nihil intrinsecè recipit; ad-  
eoque non mutatur. DEUS non mutat Vo-  
luntatem: quia ab æterno voluit, ut Mundus  
existeret in, & cum tempore. Existente Mun-  
do nova oritur relatio, intrinseca Mundo pro-  
ducto, extrinseca DEO producenti.

Objicies tertio. Si voluit DEUS Mundum  
producere ab æterno, & non potuit; fuit im-  
potens. Si potuit, & non voluit; fuit javi-  
dus: quia bonum, quod communicare potuit,  
noluit. Si potuit, & voluit; ergo produxit.  
ergo, &c. Resp: DEUS ab æterno & potuit,  
& voluit Mundum producere in tempore; ne-  
que invidia est, bonum non communicare  
semper: sed non communicare tunc, quando-  
& quomodo oportet. DEUM autem de-  
cuit non communicare ab æterno, ex rationi-  
bus suprà allatis.

Objicies

Objicies quartò. Correlativa sunt simul. Sed DEUS, qui est exemplar Mundi, est Aeternus; ergo & Mundus, exemplatum Illius. Resp. Dist. Maj. Correlativa realia; & quæ talia sunt ab intrinseco C. correlativa per relationem; & quæ sunt, dicunturque relativa ab extrinseco N. Maj. At vero, ut recte docuit Card: Toletus citatā q. 1. & P. Pererius l. 15. c. 3. hæ temporales relationes non sunt in DEO, sed in creatura; & per easdem denominatur DEUS denominatione extrinseca. Sic ut etiam juxta Aristotelem s. Metaphysico. sum: t. 15. dicitur scibile; non quod referatur intrinsecè ad scientiam: sed quia scientia refertur ad ipsum scibile. Ratio à priori est: quia relatio realis intrinseca dicit quandam indigentiam termini, dependenter à quo resoluta, bene aut melius se habet. Atqui DEUS essentialiter est Perfectissimus, Sibi sufficiens, à creaturis Independens, &c. ergo.

Objicies quintò. Causa perfectiore modo se habet, dum est in actu; quam dum præcisè est in potentia. sed DEUS est Causa Perfectissima; ergo semper fuit in actu; ergo, &c. Resp: D. Maj. perfectiore modo se habet, vel intrinsecè, vel extinsecè C. Maj: semper intrinsecè, & in se N. Maj. causa per operationem suam perfectibilis, perfectiore modo se habet intrinsecè, dum agit; sed hoc habet ex ratione adjun-

adjuncta: quod simul sit potentia passiva. DEUS autem est Actus Purus, mera Perfectio, &c. ergo, &c.

Objicies sextò. Bonum est communicatum sui, inquit S. Dionysius; ergo Summum Bonum, est summè communicativum. Atqui DEUS est Summum Bonum; & communicatio ab aeterno est major, quam temporalis; ergo DEUS Se Se Mundo communicavit ab aeterno; ergo, &c. Resp: Dist. Cons: est summè communicativum virtute C. actu N. C. de ratione Summi Boni est, ut possit Se communicare; non ut actu Se communicet omnibus possibilibus modis. alias infinitis creaturis DEUS Se debuisset actu communicate per Unionem Hypostaticam. Et ratio à priori est: quia de ratione Summi Boni est, ut libertate, ac Sapientiâ non destituatur; ergo Sapientissimâ libertate potest eligere eos communicationis modos, qui Sibi placuerint, ut convenientiores. Atqui communicatio in tempore est convenientior, ex dictis; ergo, &c.


Objicies septimò. Sapientis est id eligere, quod melius est ex duobus oppositis; atqui melius est Mundum semper existere, quam non semper existere; ergo illud Sapientissimus DEUS elegit; ergo. Resp. Dist. Minor. melius est Mundum semper existere, ex supposito, quod DEUS velit eum semper existere C. Min. ex supposito, quod DEUS

20 *Mundus non extitit ab æterno.*  
DEUS nolit N. Mi. à Voluntate DEI omnes res habent bonitatem suam : sicut ab Intellec-  
tu Divino veritatem transcendalem. & consequenter id cuilibet rei est melius, quod est Voluntati Sapientissimæ conformius. Deinde id cuilibet rei est melius, ratione cuius illa ad finem sibi præfixum est aptior ; ut patet inductione omnium, tam in physicis, quam in moralibus, ac intentionalibus. Atque exi-  
stentia temporanea est convenientior Mundi, ad finem ipsi præfixum, quam æterna : finis enim Mundi est, ut per illum Excellentia, ac Li-  
bertas DEI Omnipotens, manifestetur ; ergo, &c.

Denique : electio creaturarum supponit maiorem, vel minorem bonitatem in eligibiliis ; electio Divina Omnipotens, confert o-  
mnibus rebus bonitatem, illamque non præ-  
supponit. DEI enim velle est facere. Ergo  
DEUS eò ipso, quod eligat unum præal-  
to, facit : ut id, quod eligitur, sit meli-  
us altero.



... 23 (21.) 23 ...



### THESES III.

*Mundus quoad res permanē-  
tes, probabilius non potuit existere  
ab æterno-*

*Ita ex Societate nostra Cardin. Toletus.  
L. 8. Phys. c. 2. q. 2. P. Lessius l. 4. de Perfa-  
cti: Divin. c. 2. P. Valentia. 1. p. Diff. 3. q. 3.  
P. Sylvester Maurus hic q. 1. & alijs.*

§. I.  
*Explicatur & Probatur Thesis.*

*A* Ntequam probem, suppono res, seu *entia* *permanenta*, hic vocari ea entia creata, quæ totum suum esse habent simul. talia sunt e. g. *Angelus*, *anima rationalis*, &c. Entia vero *successiva* dici illa, quæ esse suum accipiunt successivè per partes; ita ut pars una sit prior duratione, quam altera. talia entia sunt *tempus*, *motus*, &c.

Quæritur nunc : an saltē potuerit ali-  
quod ens Mundi hujus existere ab æterno ?  
hoc est : an potuerit à DEO produci aliqua  
creatura, sive permanens, sive successiva, quæ  
dura-

duratione suâ itâ DEO coëxisteret , ut illam nec DEUS duratione Sua præcessisset; nec ultra creatura à DEO producibilis eam duratione suâ potuisset antecedere ? sic etiam illa creatura dicitur duratura in æternum , quæ sic existet , ut nec duratio DEI-ultra eam protendatur : nec ulla possit esse creatura , quæ illius existentiam , ac durationem excedat.

Probatur primò . Omnis creatura essentia litter in perfectionibus suis est limitata , ac determinata , per existentiam , seu productionem finitam , ac subsistentiam . Ergo implicat , ut illi identificetur perfectio durationis infinita actu . Sed etiam implicat , ut illam intrinsecè denominet actu infinite durantem , per durationem , seu formam receptam . nulla enim forma communicat effectum formalem plurimarum intrinsecè , nisi uniatur , ac in eō recipiatur , quod intrinsecè denominatur ; quidquid autem recipitur , per modum recipientis recipitur . Ergo implicat , ut ulli creaturæ , seu subjecto finito , intrinsecè uniatur forma , aut quasi forma , actu infinita ; illudque intrinsecè denominet actu infinitum quoad durationem .

Confirmatur . Omnis creatura essentialiter est ens finitum ; & duratio æterna , est perfectio actu infinita . Atqui implicat , ut perfectio actu infinita , identificetur realiter enti finito : aut forma intrinsecè infinita , uniatur

subjecto

subjecto intrinsecè finito ; quia quidquid recipitur , per modum recipientis recipitur ; ergo implicat , ut duratio æterna , seu actu infinita , vel identificetur realiter : vel intrinsecè uniatur ulli creaturæ . Neque dicas : illud ens tantum extrinsecè connaturum fuisse durationem æternam , seu actu infinitam . Resp : etenim : connotare alterum , est exigere alterum ; ergo si entitas illius creaturæ , exegisset durationem actu infinitam ; fuisse illa creatura in suo esse infinita : quia durationem sibi exegisset proportionatam . finiti autem ad infinitum nulla est proportio : neque finitum commensuratur infinito actu ; ergo , &c.

Probatur secundò . Aeternitas , & duratio actu Infinita , est aequè propria DEO , ac Sapientia , aut Immenitas , aut Bonitas actu Infinita ; atqui nec Sapientia , nec Bonitas , &c. actu Infinita , etiam contingenter , & per accidens , potuit communicari ulli puræ creaturæ ; ergo idem dicendum est de Aeternitate , seu duratione actu Infinita .

Probatur tertiod . Si e. g. Angelus exitisset ab aeterno ; ille connaturaliter comprehendisset suam durationem , per quam actu exitisset ; atqui illa duratio fuisse actu infinita : quia ailijs non correspondisset aeternitati actu infinita ; ergo connaturaliter comprehendisset durationem actu infinitam ; ergo Angelus ille habuisset

24 *Mundus quoad res permanentes*  
buisset virtutem cognoscitivam connaturalem,  
actu infinitam: nam nisi ad infinitum nulla est  
proportio; ergo Angelus ille fuisset perfectionis,  
ac essentiae infinitae; siquidem connaturalis  
modus, seu virtus operandi, proportionatur  
modo essendi; ergo Angelus ille fuisset crea-  
tura, & non fuisset.

Probatur quartus. Implicat creatura, quia  
non in omni genere infinitè distet à DEO;  
atque creatura ab æterno producta, in dura-  
tione sua non distaret infinitè à Duratione Dei;  
quia inter Durationem Suam, & illius creaturæ  
non potuisset DEUS perfectiorem duratio-  
nem interjecere; ergo, &c.

Probatur quintus. Terminus à quo crea-  
tionis, est terminus ad quem annihilationis;  
sicut & terminus à quo generationis, est termi-  
nus ad quem corruptionis. Atqui implicat  
aliquid annihilati, aut corrupti, hoc est:  
transire ad non esse; nisi duratione præcesset  
esse: quia aliás eodem indivisibili instanti, si-  
ve temporis, sive æternitatis, eadem res simul  
esset, & non esset. ergo etiam implicat gene-  
rari, aut creari aliquid ens, cuius privatio,  
seu non esse, duratione non præcesset ipsum  
esse, quia etiam aliás illa res eodem instanti  
esset, & non esset. ergo implicat aliquid gene-  
rari, aut creari ab æterno; siquidem non esset  
præcessisset duratione, terminum generationis,  
aut creationis.

§. II.

non potuit esse ab æterno.

25

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur primus. Nulla est repugnantia ex parte causa: DEUS enim fuit ab æterno; nec est opus, ut causa præcedat duratione suum effectum. sic Sol & ignis, primo instanti suæ existentiae, producunt lucem & calorem. Nec est repugnantia ex parte Mundi; quia ut ait S. Thomas I. p. q. 46. a. 2. essentia entis crea-  
ti, quantum est de se, abstrahit ab omni du-  
ratione. Neque est repugnantia ex parte crea-  
tionis; quia creatio non est productio rei ex nihilo, hoc sensu: quod nihil, seu non esse rei, debeat duratione præcedere ipsum esse crea-  
tura; sed quod creatura totum esse accipiat nullo præjacente subjecto. Ergo ex nullo ca-  
pite repugnat. Resp: esse implicantiam in ad-  
jecto ex parte potentiarum passivæ objectivæ;  
hoc est: ex parte combinationis terminorum,  
prædicati & subjecti talis. quia est contradic-  
tio in combinatione Mundi creati & existen-  
tis, cum ly ab æterno. Mundus enim ab æ-  
terno existens, esset creatura, & non esset; es-  
set finitæ perfectionis in omni genere, & non  
esset; ut patet ex rationibus pro Conclusione  
datis. Illud S. Thomæ: essentia rerum, se-  
cundum se abstrahunt ab hic & nunc; intelli-  
gendum est de essentijs metaphysicè acceptis:

B

aut pre-

aut prout existunt in Idea Divina; non autem de essentijs rerum actu creatis, & in statu physico existentibus. multa autem prædicata repugnant rebus ratione statu s. e. g. physici, in quo existunt; quæ non repugnant secundum se, aut in statu intentionali consideratis.

Objicies secundò. Defacto Humanitati Christi communicatur infinita sanctitas; ergo etiam alicui creaturæ potest communicari infinita duratio. Resp: Dist. Ant. cum Card: de Lugo in 2 p. Disput. 16. S. 3. P. Esparza q. 2 4. in 3. p. de Incarnat. & alijs: ità ut faciat actu finitè sanctam C. A. ut faciat actu infinitè sanctam N. A. & C. Implicat, ut ullum prædicatum, simpliciter infinitum, communicet effectum actu infinitum ulli creaturæ, quidquid enim recipitur, per modum, & ad proportionem recipientis recipitur; omnis autem creatura essentialementer est in statu physico existentiae limitata ac finita; ergo, &c.

Objicies tertio. Creatura ab æterno fuit æquè possibilis, ac est defacto. non enim incipit esse possibilis in tempore. ergo æquè potuit produci ab æterno, ac in tempore. Resp: Dist. A. Fuit ab æterno possibilis pro aliqua duratione actu finita C. A. pro aliqua duratione actu infinita, seu pro æternitate categoriamatica N. A. & C. Creatura hoc sensu ab æterno fuit possibilis, quod ab æterno extiterit Omnia-

tit Omnipotentia DEI potens creare aliquam durationem actu semper finitam.

Objicies quartò. DEUS ab æterno habuit eandem virtutem producendi, quam nunc habet; ergo etiā ab æterno potuit producere creaturam. Resp: indirectè: DEUS habuit ab æterno eandem virtutem res destruendi, quam nunc habet. sed habuit virtutem destruendi res in tempore; ergo etiam habet virtutem res destruendi in æternitate, seu ab æterno. Atqui etiam juxta Adversarios Consequens est falsum: quia destrui præsupponit esse; ergo & medium est falsum; nam ex medio vero non sequitur legitimè falsum.

Dicētè, & in forma Dist. Maj. habuit eandem virtutem producendi creaturam in, & pro tempore Con. Antec. in, & pro æternitate N. Ant: Distin. similiter C. & N. Con. Addo hīc: quando dicitur DEUM non posse producere creaturam ab æterno; tunc illa impossibilitas provenit ab ipsa combinacione terminorum; nempe quod conceptus essentialis creature dicat limitationem, ac finitudinem, exclusivam essentialiter infinitatis: & quod conceptus durationis ab æterno dicat infinitatem, essentialiter exclusivam limitationis, ac finitudinis; adeoque duo isti conceptus essentiales conjuncti, sese invicem evertunt. Omnipotentia DEI, est mera potentia activa; sed Ea duntaxat continet possibilia, non im-

possibilitia, & chimæras. Vide S. Thomam, 1. p. q. 46. a. 1. in s. Met. Lect. 14. 2. contra Gentes. c. 25.

Urgebis. Si Sol extitisset ab æterno, ab æterno produxisset calorē, & lucem. Itēm: si pes extitisset in pulvere ab æterno, ab æterno imprefississet vestigium; ut docet S. Aug. l. 6. de Trinit. c. 1. Ergo cùm DEUS sit Æternus, potuit ab æterno Sui imprimere vestigium creaturæ, communicando illi esse; ergo. Resp: hoc argumento probari Mundum defacto extitisse ab æterno. Sequela est contra Fidem Catholicam; adeoque falsa; ergo & medium est falsum: quia falsum non sequitur legitimè ex vero. In forma Dist. Cons. si ly ab æterno appelleret, & spectet ad Omnipotentiam DEI C. si ly ab æterno appelleret, & spectet ad esse creaturæ N. C. DEUS operatur ad extrâ per Suam Voluntatem; DEUS ab æterno voluit, & operatus est *Mundum in tempore*. Mundo enim existentia æterna categorematicè repugnat; & est implicantia in adjecto, ut ostendi nuperrimè. Unde etiam patet dispatitas: quia suppositâ Solis, aut pedis in pulvere existentiâ, non est amplius repugnantia ex parte vestigij, aut caloris; suppositâ autem DEI ab æterno existentiâ, adhuc est contradic̄tio in terminis, seu repugnantia ex parte potentiae passivæ obiectivæ; adeoque ex casu impossibili, ac chimerico,

mætrico, non ostenditur possiblitas creaturæ, ab æterno existentis; præsertim cùm allegatae causæ sint necessariæ; DEUS autem omnium ad extrâ operabilium sit Causa Libera. Imb, ut rectè notat Cardin. Toletus: denominatio *Causa, Creatoris actu, &c.* sunt denominatio[n]es extinsecæ, quæ extinsecūs adveniunt DEO, ab ipsis creaturis actu productis. ergo nihil concluditur contra allegatas instantias; nisi proberet: quod DEUS in, & pro æterno fuisse *Causa, Creator, &c.* actu producens a liquid extra Se; sicut Sol, & pes, supponuntur esse causæ, actu & formaliter causantes.

Objicies quintò. Potest creatura durare in æternum; ergo etiam potuit durare ab æterno. Resp: Dist. A. in æternum syncategorematicè C. A. categorematicè N. A. Dist. similiter Cons; & N. C. Implicat creatura, quæ actu habeat durationem, ut deinceps non possit habere diuturniorem; ergo etiam implicat creatura, quæ habeat actu durationem, quia non potuit habere anteriorem; quia alias esset infinita actu. Fateor, nullum esse assignabile instantia temporis, ante quod DEUS non potuisset condere aliquam creaturam; sed hæc duratio fuisset finita actu: infinita solùm in potentia.

Replicabis. Effectus potest habere aequalē durationem suā causē ; ergo creatura D E O. Resp: Dist. Ant. aequalē duratio- nem possibilem C. A. impossibilem N. A. Distin. etiam Conseq: D E O, ut est actu, & formaliter Causa C. D E O, ut est fundamen- taliter, & remotē Causa Nego Cons. D E O ab effectu, in tempore productō, extrinsecē denominabatur ab æterno causans. Vide nuperimē dicta. Et ratio ulterior est: quia causa, formaliter & actu causans, denomina- tur ab actione ; actio autem est in recipiente: non in agente ; ergo actio tantum extrinsecē denominat causam actu agentem.

\* \* \* \*



## THESIS IV.

Implicitat, ut Mundus, quoad entia successiva ( motum Solis e. g. ) fuerit ab æterno.

Ita D. Thomas. 2. contra Gentes. c. 38.

Eg op. 27. 1. p. q. 46. a. 2. P. Suarez.

Disp: 10. Met: S. 6. Card: Toletus: 8. Physic:

q. 2. P. Hurt: Disp: 18. Phys: S. 2. Eg 3. P.

Comptonus Disp: 39. Phys. S. 4.

§. I.

Probatur Thesis.

PRIMĀ. Infinita series ex essentia sua est impertransibilis ; ut patet ex Aristotele l. 5. Phys: t. 59. & 8. Phys: t. 68. Infinitum enim est, cuius semper aliquid est extra. & alias illa series esset infinita, ut supponitur ; & non es- set infinita : siquidem per actualem creatam existentiam, ac subsistentiam terminaretur, adeoque finiretur. Atqui si ens successivum fuisset ab æterno infinitum, posset pertransiti : ergo, &c. Seq: Subsumpti prob: si fuisset ali- quis motus ab æterno, usque ad præsens in-

stant; actu positæ essent infinitæ partes illius motus; e. g. infinitæ circulationes Solis. infiniti dies anni, &c. ergo infinitum nunc effluxisset, absolutum, terminatū, ac finitum esset; quod implicat.

Probatur secundò. DEUS actu produxit illud ens successivum; Deus autem actu videt, quæ produxit; ergo Deus inter partes illius entis, usque nunc productas, vidisset unam, ante quam non potuit producere aliam; & post quam produxisset alias; ergo vidisset positivè primum. quia verò posset productionem suam liberrimam hodie abrumpere; & tunc hodiernum diem alij præcessissent, & post eum nullus sequeretur: ideo videndo hodiernum diem, videret positivè ultimum. ergo in æternitate infinita videret primum ac ultimum; ergo videret infinitum, clausum terminis; ergo esset infinitum, ut supponitur; & non esset, quia terminatum, ac finitum esset.

Probatur tertio. Ens successivum essentialiter constat partibus sibi succedentibus; ita ut una sit duratione prior, altera posterior. si enim haberet omnes partes simul, tunc esset ens successivum, & non esset. Atqui implicat in terminis, ut ab æterno existat aliquod ens, quod altero sit duratione posterius; ergo implicat ab æterno ens successivum, quod essentialiter

essentialiter involvit aliiquid duratione posterius. Confirmatur primito. Motus est essentialiter aliiquid fluens secundum prius & posterius; ergo secundum prius corruptitur, dum posterius succedit. Atqui implicat, ut in æternitate aliiquid corruptatur, seu transeat de esse ad non esse: quia esse præcederet duratio ipsum non esse; in æternitate autem implicat, ut unum præcedat duratione alterum; alias id, quod sequitur, esset ab æterno, & non esset; ergo.

Confirmatur secundò. Implicat, ut existat aliiquid à parte rei, quod non sit in se determinatum. implicat etiam, ut Deus Omnisclus non videat determinatè omne, quod ab Ispo determinatè producitur; ergo DEUS inter omnes e. g. dies, à se productos, videret determinatè unum, ante quem nullum, & post quem plures produxisset; ergo in æternitate videret diem determinatè primum; ergo videret infiniti terminium, à quo productio incepit.

Confirmatur tertio. Quidquid convenit singulis ex aliqua collectione essentialiter: hoc etiam convenit collectioni; ut patet inductio ne. Sic quia singuli homines essentialiter sunt rationales: etiam collectio hominum est rationalis, &c. Ratio ulterior est: quia adnumeratio aliorum, non mutat essentiam rerum.

Atqui singulæ partes priores entis successivi, transirent essentialiter de esse ad non esse, alijs succedentibus; & singulæ posteriores essentia- liter præsupponerent durationem priorum; ergo etiam tota collectio partium entis successivi ( licet infinitæ essent ) essentialiter præsupponeret aliquid duratione antecessisse; ergo implicat, ut illæ partes, etiam collectim acceptæ, sint ab æterno. illud enim implicat esse ab æterno, quod supponit aliquid duratione prius.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Potest motus esse in æternum; ergo etiam potuit esse ab æterno. Resp: Dist. Ant. Potest motus esse in æternum syncategorematicè, ita ut nunquam sit verum dicere, quod actu effluxerint infinitæ partes motus C. A. in æternum categorematicè N. A. Dist. similiter Cons. & Nego Cons.

Objicies secundò. Ideo in æternitate postica, non potest perveniri ad durationem ultimam: quia quælibet assignabilis post se habet aliam, & aliam finè fine. ergo etiam in æternitate antica, seu à parte antè, nunquam devenietur ad primam: quia quæcumque assignabilis ante se habet aliam & aliam finè fine. Resp: N. Cons. quia in æternitate postica, nec

pon-

ponetur actu, nec ponibilis est ulla duratio, post quam non aliæ, & aliæ essent ponibles in infinitum syncategorematicè; ergo non mirum est, quod nec D E U S ibi videat ultimum. At vero in sententia Adversariorum, si ens aliquod exitisset ab æterno, fuisset actu possum; nec ante illud potuisset à D E O producillum duratione prius: & post illud plura & plura fuissent secuta; ergo D E U S Omnipotens, qui videbat omnia à Se posita, ibi videret primum.

Objicies tertio. Malum est argumentum à sensu distributivo, ad copulativum. sic male in inferno: singuli homines habent tantum duos pedes; ergo omnes homines simul sumpti habent tantum duos pedes. Ergo etiam male infertur: quilibet dies seorsim habet alium ante se; ergo omnes habent priorem se, &c. seorsim enim sumpti, sunt dies determinati: simul sumpti essent infiniti; ergo indeterminati. Resp: Distin: Antec in prædicatis accidentalibus C. A. in prædicatis essentialibus N. A. vide Confirmationem tertiam. Et licet nos inter infinitos non possimus assignare determinatè primum; posset tamen D E U S: qui videt omnia à Se producta determinatè; & quidquid à parte rei unquam existit, existit determinatum. Vide Confirmationem secundam.

Objicies quartò. Si DEUS ad extrā ageret necessariò, produxisset Mundum ab æterno, cum omnibus, quos defacto habet, motibus. ergo ex parte Mundi, aut motū, cum æterna productione combinati, non est contradic̄tio; ergo ex parte potentie passivæ non est impli-cantia in terminis. Atqui etiam non est contradic̄tio ex parte ipsiusmet Omnipotentie DEI; ergo, &c. Resp: Dist. A. produxisset Mundum chimæricum C. A. Mundum hunc, aut talem, qualis defacto existit, aut est possi-bilis N. A. Si DEUS ad extrā non ageret li-berē, non esset DEUS, ut patet ex nuper dictis; Thesi 2. ergo ipsa causa producens esset chi-mæra. esset enim Deus, ut supponitur; & non esset, ut rationibus, citatâ Thesi allatis, probatur. ergo etiam effectus esset chimæri-cus; quia effectus proportionatur suæ causæ, Juxta Physicos; & ex Antecedente impossibili, sequitur Consequens impossibile, juxta Dia-lecticos; implicat enim, ut effectus sit perfe-c̄tior suâ causâ adæquatâ; ergo, &c.

Objicies quintò. Licet infinitum non pos-sit transiri tempore finito: potest tamen per-transiri tempore infinito; ergo, &c. Resp: Infinitum, ut ex ipso nomine patet, absolute finiti non potest; quia alias esset infinitum, & non esset. Estque infinitum ex essentia sua, cuius semper est aliquid extrā; sive ulterius ad-jicibile

jicibile, ex ea parte, quā est infinitum; ergo quacumque Mundi durationem statuas, semi-per citiūs, & citius poterat produci. Porrò repugnare tempus actu infinitum, aut ab æ-terno, constat ex probationibus supra allatis; confirmatürque hāc ratione: implicat ut tem-pus sit præteritum; nisi fuerit futurum. tunc enim tempus præterit, quando per præsens, à fore transit in fuisse. Atqui tota collectio in-finitarum e. g. dierum, à parte antè emensa-rum, esset præterita; ergo tota aliquando fui-sset futura; ergo tota aliquando non fuisset. futurum enim est, quod nondum est; ergo tempus essentialiter incepit. Neque enim de illo ( quod nunquam incepit ) dici potest quodd aliquando non fuerit. ergo implicat tempus fuisse ab æterno.

\*\*





## THESIS V.

Cœlum non est corpus simplex, eâ simplicitate, quæ excludat compositionem ex subiecto, & actu; materia scilicet, & forma.

*Ità Aristot: hic l. 1. à t. 5. D. Thom: ibid.  
P. Suarez. D. 13. S. 10. PP. Conimbr. in l.  
de Cœlo. c. 2. q. 4. n. 2. P. Hurtadus. D. 1. de  
Cœlo. S. 1. & alij passim contra P. Com-  
pton: D. 3. de Cœlo. S. 3.*

## §. I.

*Probatur nostra Thesis.*

Probatur primò ratione desumptâ ex S. Thomâ, p. q. 56. a. 2. Omnis substantia, ad existendum sufficiens, existit in certa, ac determinata specie, ac individuo; alias daretur à parte rei individuum vagum; ergo non est pura potentia passiva, sive omni actu physico, ad speciem determinâre. ergo vel est purus actus physicus; vel compositum ex

actu

actu & potentia. Atqui Cœlum est substantia, ad existendum sufficiens; cum defacto in rerum natura existat; ergo, &c. Subsumo: sed implicat, ut sit purus actus, independens à materia; cum Cœlum, utpote corpus sensibile, quantum, extensem, &c. non sit immaterialis, ac spiritus; ergo est compositum ex actu, & potentia sensibili, per quantitatem extensem &c. ergo est compositum ex materia, & forma substantiali.

Probatur secundò ratione desumptâ ex Aristotele citato. Cœli moventur motu circulati; ergo habent in se naturam, quæ est principium physicum motûs. Atqui natura physice componitur ex materia, & forma; ergo, &c.

Probatur tertio. Si Cœlum esset independens omnimodè à materia; esset perfectior substantia, quam anima rationalis. inductione enim patet: quod eò sit perfectior substantia, quod minus dependet à materia; anima autem rationalis, utpote actus informativus, dependet à materia, velut subiecto informationis. Atqui sequela est contra illud Axioma: *infimum supremi, est perfectius supremo inferioris ordinis;* ergo, &c.

Atque ex his rationibus colligitur: implicare corpus simplex, exclusivum compositum ex actu, & potentia receptiva sensibili; seu materia,

materia, & forma. Eſſet enim ſpiritus, & non eſſet. eſſet: quia non dependeret à materia, & quantitate; in quo conſiſtere eſſentiam ſpiritus probabitur ſuō locō. etiam non eſſet: quia eſſet corpus. Subtantia enim dividitur in corpoream, & ſpiritualem: & unum membrum dividens opponitur alteri; ergo.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Aristoteles 1. de Cœlo, t. 8. docet: Cœlum eſſe corpus simplex; ergo non componitur ex materia & forma. Relp: Dist: A eā simplicitate, quæ opponit cor- porti mixto ex qualitatibus Elementorum C. A. eā simplicitate, quæ opponit composi- tioni ex materia & forma N. A. & C. Ex- plicatio conſtat ex ipſo Aristotele: qui etiam Elementa vocat corpora simplicia; & tamen ſæpiſſime probat illa componi ex materia & forma; ergo, &c.

Urgebis. D. Thomas ex mente Aristotelis ait: in Cœlis non dari potentiam ad eſſe; ergo non componuntur Cœli ex materia. Relp: S. Th: explicat ſe ipsum in 8. Phys: L. 21. do- cens: materiam Cœleſtem non eſſe potentiam ad aliam formam, præter eam, quam habet; cum Cœli naturaliter ſint incorruptibiles.

Objicies ſecundò. Aristotel. 8. Metaphys:

t. 14.

t. 14. ait: quæcumque abſque transmutatione ſunt; horum materia non eſt. & ſubjugit: ſubtantias perpetuas materiam non habere. At- qui in ſententia Aristotelis Cœli ſunt substan- tiæ perpetuæ; ergo, &c. Resp: Explico A- ristotelem cum diſtincione: non habere ma- teriam talem, de qua ibidem loquitur C. Maj. non habere materiam alterius rationis N. Ma: Fateor Cœlum non componi ex materia, quæ ſit ſubjectum commune, omnium formarum capax; de qua ibidem loquitur. Et ut textus textu ſalvetur; ipſe Aristoteles ibidem priu- dixerat: quod omnes ſubtantia ſenſibiles habe- ant materiam. Atqui Cœlum eſt ſenſibile: quia oculis videtur; ergo.

Objicies tertio. Materia prima imoſteſcit ex transmutationibus ſubſtantialibus; atqui in Cœlo nullæ dantur; ergo, &c. Resp: Dist: Ma- tantum N. M: etiā C. M. intellectus huma- nus habito ex ſublunaribus fundamento, ex quan- titate, figura, raritate, densitate, &c. in Cœ- lo deprehensis; infert illic etiam ad eſſe mate- riā, cuius eae ſunt physicae proprietates. ad-

juvatur inſuper diſcufſus ex rationibus pro Concluſione allatis; ergo,

&amp;c.



## THESES VI.

Cœlum componitur probabilius ex materia diversæ rationis à materia sublunari.

*Ita Aristot: 12. Metaph: t. 10. & l. de Gener: t. 43. ac 53. D. Thom: 1. p. q. 66. a. 2. ubi expressè concludit: impossibile ergo est, quod corporis corruptibilis, & incorruptibilis per naturam, sit una materia. Ita P. Suarez. D. 13. S. 11. à num. 13. P. Valentia 1. p. D. s. q. 2. PP. Conimbr. in l. I. de Cœlo. c. 2. q. 6. n. 2. & alij complures.*

## §. I.

*Probatur nostra conclusio.*

Probatur ratione S. Doctoris. Materiæ essentia in eo consistit, quod sit potentia ad formam transcendentaliter, ac essentialiter, ordinata; ergo materiæ, quæ dicunt ordinem, ac respectum essentialiæ ad formas specie diversas, hoc sensu ipsæ etiam sunt speciei, seu rationis diversæ. Atqui juxta Aristotelem, & D. Thomam, materia sublunaris essentia-

lem

*difert à sublunari.*

lem respectum dicit ad formam amissibilem: Cœlestis ad inamissibilem; ergo, &c.

Confirmatur primò. Si materia Cœlestis esset ejusdem rationis cum materia sublunari; haberet proportionem, & appetitum naturalem, ad plures formas sublunares; ergo materia Cœlestis esset radix corruptibilitatis: quia ex hoc capite in sublunaribus materia prima dicitur radix corruptionis. ergo Cœli non essent ab intrinseco incorruptibles, sed tantum ab extrinseco, defectu contrariaū dispositionum; quod est contra Aristotelem, ac D. Th: Thesis proximâ citandos; ergo, &c.

Confirmatur secundò. DEUS, & natura, operatur sapientissimè; ergo producit media, ad finem intentum proportionata. Sed materia mutationis successivæ capax, esset medium impropotionatum ad Cœlestis compositionem, naturaliter incorruptibile; ergo, &c.

Confirmatur tertidò. Potentia passiva est correlativum ad potentiam activam; ergo si materia Cœlestis esset potentia passiva, plurimum successivæ formarum capax: etiam daretur potentia naturalis activa, quæ illas formas inducere posset. Atqui nulla talis potentia activa naturalis datur: cum Cœli sint naturaliter incorruptibles; ergo.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Omnis distinctio specifica fit per

fit per actum physicum, scilicet radicaliter. Atqui nulla materia secundum se includit a. etum physicum; ergo nulla materia secundum se distinguitur specie ab altera. Resp: Distinguendo Maj: fit per actum physicū, vel inclusum, vel intrinsecō respectu connotatum C. Maj. per actum physicum tantum inclusum, & intrinsecē constitutivum N. Maj. C. Min. & N. C. Potentiae respectivae, juxta Aristotelem ac D. Thomam, ex hoc ipso sunt specie diversae: quodd essentialiter ordinantur ad actus specie diversos. patet inductione; potentiae visive, essentialiter ordinatae ad colorem: auditiva, ad sonum, &c. unde etiam illa potentia dicitur perfectior, quæ essentialiter ordinatur ad actum perfectiorem.

Objicies secundō. Si ideo materia sublunaris esset diversa à Cœlesti, quia hæc ordinatur ad formam incorruptibilem; sequeretur etiam materiam hominis esse specie diversam à materia e. g. ligni, aut alia, quia hæc ordinatur ad formam corruptibilem: cùm anima hominis sit spiritualis, adeoque incorruptibilis. Atqui sequela est contra Aristotelem, ac D. Thomam; ergo. Resp. Dist: Seq: Maj: si ideo esset diversa à Cœlesti, quia hæc ordinatur ad formam, in se, ac entitate sua incorruptibilem C. si ideo esset diversa à Cœlesti, quia hæc ordinatur ad formam, in modo infor-

mandi

mandi incorruptibilem N. Seq. Maj. C. Min: & N. Cons. Ordo physicus, essentialis, ac intrinsecus materiæ, est habitudo ad formam, ut formam. totum enim esse, quod DEUS, Autor naturæ, dedit materiæ: est in ordine ad hoc, ut esset potentia formæ receptiva, tanquam imperfectum sui perfectivi. ergo illud, ad quod materia per se, primò, ac præcipue respicit in forma, est: quod forma sit perfectiva, ac informativa materiæ; ergo materia ordinatur ad formam, in quantum se hæc illi communicat informando. Ergo materia in statu physico præcipue respicit formam quoad modum informandi, sésque communicandi subiecto; ia quantum ille, vel est corruptibilis, & amissibilis: vel incorruptibilis, ac inamissibilis; ergo illæ tantum materiæ sunt diversæ speciei, ac habitudinis, quæ respiciunt formas, quoad modum amissibiliter, & inamissibiliter informandi, diversas. omnis enim potentia respectiva specificatur à termino, secundum eam rationem, quam potentia primæ, ac per se respicit, diverso. Atqui tum anima rationalis, tum quæcunque forma sublunaris, habet modum informandi, sésque materiæ communicandi separabilem, ac corruptibilem; ut patet experientiâ; forma autem Cœlestis (ut mox probabimus) habet modum informandi incorruptibilem; ergo, &c.

Et cer-

Et certè; licet forma entitativè sit incorruptibilis, hoc se per accidens, & impertinente habet ad appetitum materiæ, nisí simul modus materiam informandi sit incorruptibilis, Materia enim post separationem æquè nihil participat à tali forma, ac si hæc in rerum natura non amplius existeret.

Objicies tertio. Melius diceretur: quod materia tantum extrinsecè per dispositiones, & per accidens ordinetur ad formam, modò amissibili, aut inamissibili informativam; ergo, &c. Resp: N. A. DEUS enim Sapientissimus confert medijs habitudinem ac capacitem intrinsecam, fini, ad quem per se ordinantur, proportionatam. Ergo cum finis, ad quem materia per se, & ex natura sua ordinatur, in sublunaribus sit: ut serviat quotidiana mutationum vicissitudini; non item in corporibus Cælestibus; potius dicendum est: quod aliam intrinsecam capacitatem physicam considererit materia existenti in sublunaribus, quam existenti in Cælestibus corporibus; ergo, &c.

Objicies quartò. Quæ conveniunt in Genere, conveniunt in materia. Atque Cæstia & sublunaria conveniunt in Genere corporis; ergo conveniunt in materia; ergo, &c. Resp: Dist. Maj. convenient in materia, abstractè & logicè considerata C. Maj: in mate-


ria, physicè, & prout est in statu reali, considerata N. Maj. Dist. similiter Conseq: & N. Cons: Potest in forma considerari hoc prædicatum: quod sit informativa materia; præscindendo, an modò amissibili, an verò inamissibili, potest item concipi ordo materia ad formam; præscindendo, an sit talis ordo, qui referat materiam ad formam amissibilem, an verò inamissibilem. Realiter tamen, & in statu physico, ratio formæ identificatur alterutri ex modis informandi; ergo etiam materia realiter, & in statu physico, ordinatur intrinsecè ad formas, alterutro modo informandi determinatas. Unde patet: ly corpus esse univocum respectu Cælestium, ac sublunarium, si accipiatur abstractè, & præcisum; prout nimurum præcisè significat compositum ex materia, & forma; præscindendo inquam ab ordine, ac habitudine reali, quam in statu physico annexam habet materia: præscindendo item à modo informandi, quem in statu physico identificatum habet forma.

Objicies quintò. Illa sunt ejusdem speciei, quibus conveniunt cædem proprietates primæ, ac immediatæ; quia proprietas proportionatur suo fundamento, seu essentia; atque materia Cælesti convenit quantitas figura, &c. quæ sunt primæ, & immediatæ proprietates materiae sublunaris; ut docuit Aristoteles r.

Physic: t. 12. 2. Physic: t. 32. 3. Physic: t. 2; & D. Thomas ibidem. Ergo etiam est eadem, seu similis utriusque essentia. Resp: Dist. Min. Atqui materiae Cœlesti convenit quantitas, & figura, &c. secundum rationem abstractam, & logicè eandem C. Min. secundum rationem contractam, & physicè eandem N. Min. Dist: similiter Conseq: Ergo est eadem, & similis utriusque essentia abstractè, & logicè considerata C. contractè, & physicè considerata N. C. *quantitas in statu physico*, dicit realem, & physicum ordinem ad hanc specie materiam: *figura*, ad hanc specie quantitatē physicam, &c. juxta illud ipsū Axioma: *proprietas physica proportionatur suo fundamento*, seu essentiæ physicæ. Ergo cùm ex rationibus Conclusionis constet probabilitus materiam Cœlestem esse specie diversam à sublunari; probabilitus quoque est: ordinem physicum, quantitatis physicæ; itemque figuræ, &c. in statu physico, esse diversum in sublunaribus ab eo, quem figura, & quantitas corporum Cœlestium habent. ac proinde etiam esse diversæ rationis physicæ, licet sint ejusdem speciei logicæ. Quia verò abstracti potest ab eo prædictato, in quo physicè disconveniunt: potestque concipi prædicatum, in quo convenient; ideo potest dari conceptus *nivocans respectu quantitatis, & figura Cœle-*

stis,

*stis, ac sublunari.* ratio enim quantitatis, prout repræsentatur, erit perfectè similis; licet non sit perfectè similis, prout in statu physico existit alijs formalitatibus identificata. Instantia est: in *animali respectu hominis & leonis*; in *homine respectu Petri & Pauli, &c.*



## THESIS VII.

Cœli probabilius sunt naturaliter incorruptibles, hoc sensu: quod forma Cœlestis, per formæ novæ generationem naturaliter expelli nequeat.

Ità Aristot. I. 1. de Cœlo. c. 3. Et lib. 2. c. 1. D. Thom. 1. p. q. 66. a. 2. P. Suarez D. 13. Sec. II. PP. Conimbr. 1. de Cœlo. c. 2. q. 1a. 2. P. Arriaga. P. Maurus. Et alij Peripateticorum quam plurimi.

S. I.

Probatur nostra Sententia.

Primo ratione Aristot: 1. de Cœlo c. 4. Proprietas sequitur suum fundamentum; ergo in entitate sua perfectionis unquam excedit suam substantiam, cuius est proprietas.

C

Atqui

Atqui motus est proprietas corporis *mobilis*; quâ *talis*; ergo motus non excedit aliquâ perfectione suum mobile; hoc est: motus non habet aliquam perfectionem, quam non habeat ipsum mobile. Sed *motus circularis Cœlestium corporum*, ex natura sua finè sine reddit in principium, à quo incepit; & consequenter nunquam interruptus continuari potest; ergo etiam corpus Cœleste ex natura sua est incorruptibile, ac perpetuum.

Probatur secundò. Primum movens in suo genere, est immobile. quia si esset mobile, eò ipso in illo genere non esset primum; sed presupponeret aliud movens in eodem genere. Atqui corpus Cœleste est primum generans, primum corruptiens; ergo istis motibus non est mobile.

Probatur tertio. Si una sententia nitatur experientijs non manifestis, sed tantum cum iudicio vitro fallibilibus: altera vero fundetur in ratione, saltē physice, aut moraliter firma; tunc hæc est intrinsecè probabilior illā. Atqui sententia Adversariorum, nititur talibus experientijs: & nostra ejusmodi ratione; ergo nostra est probabilior int̄insecè. Quod etiam probabilitate extrinsecā, hoc est: majori auctoritate, sententia nostra adversariæ præferenda sit, ita ostendo. Cœlos quoad substantiam esse incorruptibiles, docuit S.

Diony-

Dionysius Areopagita de Div: Nom: c. 4. S. Augustinus. l. 20. de Civitate DEI c. 14. & 24. S. Damascenus l. 2. Orthodoxæ Fidei c. 6. S. Thom: cit. aliisque SS. PP. in Philosophia excellentiores; ergo, &c.

Confirmatur primò. Singula Cœlestium corpora habent peculiarem vim generandi, & corruptendi sublunaria; atqui quælibet generatio, & corruptio sublunaris, debet reduci ad aliquam causam ingenerabilem, & incorruptibilem, nè procedatur in infinitum; ergo, &c.

Confirmatur secundò. Omne naturaliter generabile, & corruptibile, sit ex contrarijs, sibi in eodem subiecto succedentibus, ut patet inductione; atqui Cœlis nihil est contrarium; ergo Cœli non sunt naturaliter generabiles, & corruptibiles. Min: prob: formæ Cœlesti, nulla forma substantialis contrariatur immediatè ac formaliter; quia substantia non contrariatur substanciali, nisi radicaliter, propter intrinsecam contrariarum proprietatum in subiecto exigentiam, ut docet ex Aristotele D. Thom: l. de Cœlo. L. 6. sed formæ Cœlesti non contrariatur ulla forma substantialis, propter exigentiam contrariarum proprietatum; quia prima connaturalis proprietas est motus circulatis, cui nullus alias motus contrariatur, ut probat ex Aristotele D. Thomas

in 1. de Cœlo. L. 8. cùm omnis contrarietas motuum sit propter terminos oppositos; ergo, &c.

Confirmatur tertio. *Natura Naturans*, DEUS, dat rebus proprietates proportionatas ad illatum esse, qui enim dat esse, dat consequentia ad esse. Ergo cùm DEUS dederit corporibus Cœlestibus motum circularem, qui ex natura sua est perpetuus; etiam dedit ipsi corpori mobili naturam, ab intrinseco perpetuam.

## §. II.

### *Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. P. Kircherus l. 2. *Mundi subterranei, & Itinerario in Solem*, refert à se visos fluctus igneos, è Sole, veluti flammorum Oceano, ebulientes; qui alio tempore non comparuerunt. Alij Astrologi dicunt se vidisse Athmo-sphæram circa Lunam; aliósque planetas. Est autem Athmo-sphæra spatium, ab halibus, circa corpus, ex quo exhalantur, occupatum; ergo dantur in corporibus Cœlestibus generationes, & corruptiones. Resp: N.C. Videbantur hæc ita fieri; non autem verè, & à parte rei siebant. Illa fluctuatio apparebat, vel propter tremulam manum, quâ telescopium, seu tubus opticus tenebatur; vel propter refractionem in pluibus tubis

vittis

vitrī factam: vel propter scintillationem radix in intermedio corpore repetitū, &c.

Et quid mirum est oculum, vitro mediante, in tanta distantia falli? nōnne in vicinioribus sœpe fallitur? vel dum baculus rectissimus, aquis infixus, apparet incurvatus; vel dum quadrata turris eminus videtur esse rotunda; vel dum aér, per trigonum aspectus, vario colore triuictus repræsentatur? Athmo-sphæræ etiam non erant exhalationes Solis, &c. sed vapores, qui regionem intermedium occupabant.

Experientiae igitur sensuum, ut non fallant, examinandæ sunt: an sint constantes, & universales omni loco, & tempore, quod sensus debite applicantur. item: an sint contra rationem, saltē physicē demonstrativam; & sic per rationem, error sensuum deprehendetur.

Objicies secundò. P. Christophorus Scheiner in *Rosa Ursina* (sic vocavit opus eruditissimum de Sole; quod Ursinæ Familiaæ, cuius insigne rosa est, dedeavit) aliquique Mathematici, millenis experientijs ajunt se deprehendisse maculas in Sole; & partes aliquas jam revelli, jam alijs conjungi, &c. Atqui illæ maculæ sunt fuligines, & fumi à Sole exhalati; & faces, ac globi ignei, jam generati, mox corrupti; ergo, &c. Resp: N, Min; Mala-

pertius, Mastrius, & alij Astronomi dixerunt esse stellas *Circumsolares*. P. Ricciolus. l. 3, Almag. c. 3. P. Schottus *Itinerario in Solem*, prolusionis §. 3. ait esse *Cometas Solis*. Alij docent illas maculas esse partes Cœli Solaris, ita densas, ut lux Solis non possit transmeare, quæ ideo jam videantur majores, jam minores: quod illis Sol nunc sit vicinior, nunc remotior, &c. Nobis negandi ratio constat ex argumentis pro Conclusione allatis,

Et nōnne etiam libero oculo spectantibus stellæ fixæ jam videntur conjungi, jam separari? attamen ratio corrigit oculum hic; ergo corrigit etiam ibi.

Objicies tertio. Multa phœnomena, Cometae, &c. apparuerunt etiam supra Lunam; ininde indubitatum est peritionibus Astronomis, sepius novas stellas in Cœlo ortas esse, & occidisse. Sic Anno 1572. in Novembri usque ad Martium 1574. visa est nova stella in Cassopea: & alia in pectore Cygni ab Anno 1600. usque ad 1621. Jam sic formatur argumentum. Ex Elementari regione nihil pervenit ad Cœlestes: quia omnia Elementaria sunt graviora, quam æther; ergo Cometae, & ejusmodi novæ stellæ, non gigantuntur ex regione Elementari; neque in illa corruptuntur. ergo generantur, & corruptuntur in Cœlo; ergo, &c.

Aliqui

Aliqui respondent: Nunquam Cometas fuisse supra Lunam. PP. Conimbr: in l. 5. de Cœlo c. 3. q. 1. a. 4. ajunt ejusmodi stellas, non vi naturali genitas, aut corruptas esse; sed miraculosè tunc à DEO creatas, & postea annihilatas fuisse.

Evidem Resp: multos Cometas fuisse, meteora tertiarum regionis aëreæ, ortos ex sicca exhalatione, virtute Solis accensa. Et hos fuisse infra Lunam, ex eo deprehensum est: quod non diu durarent; neque cum alijs astris regulariter moverentur. Admitto tamen aliquos fuisse Cœlestes supra Lunam; hoc enim Astronomi complures demonstrare videntur, cuilibet autem in sua arte excellenti, credendum est.

Sed dico: ejusmodi stellas non fuisse novas, quoad substantiam, licet tunc Angelo moverente novum situm acceperint: & tunc apparet, & post intervallum disperarent. unde existimo illas cum stellis cæteris à DEO sub Mundi initium fuisse creatas. Inducor hac ratione. Ad Sapientissimum Universi Gubernatorem D E U M pertinet, non tantum Mundo physico, sed & Politico, de medijs ad gubernationem, tum utilibus, tum necessarijs, providere; ergo conveniens erat, ut in prima Mundi Creatione DEUS de stellis ita disponeret, ut etiam aliquæ conderentur id-

neæ , ad homines de eventu extraordinario commonendos ; illâisque itâ ordinaret , ut motu suo tunc conspicuæ prodirent , quando , & ubi , portentoso ejusmodi ostento , morum emendatio , vel aliud quidpiam ad ordinem Mundi Politicum spectans , insinuandum erat . Elige viam , quam sequi liber . Nec est , cur quis calumnietur Conimbricenses : quod ad Sacristiam , & miracula confugiant . Catholico enim ex Sacra Scriptura certum est , prodigia in Cœlo sæpius extraordinariâ DEI Virtute contigisse ; vel quando ad preces Josue Sol longissimo tempore contra naturalem impetum sublîtit . Jos: 10. vel quando ex Isaïæ 30. in signum vitæ , Regi Ezechiæ per annos 15. deinceps prorogandæ , Sol ad totidem gradus retrocessit . &c.

Objicies quartò . Isaïæ 14. dicitur : Cœli sicut fumus liquecent . Et 65. ego creo Cœlos nō vos , & terram novam . Ad Hebr: 10. Cœli peribunt . 2. Petri . 3. Cœli reservati sunt igni , &c. ergo Cœli corrumpuntur ; ergo . Resp: Sacram Scripturam explicandam esse ; vel de globo aëreo , non Cœlesti . sic etiam psal. 103. volatilia aëris vocantur : volucres Cœli . Vide S. Thomam in supplém. q. 74. a. 4. vel de immutatione accidentalí , non de corruptio- ne quoad substantiam : ut docuit S. Hierony-

mus in c. 65. Isaïæ . S. August: l. 20. de Civitate DEI . c. 14. & 24.

Textum illum Matth. 24. stellæ de Cœlo cadent ; S. Thomas ibidem intelligit , non de casu physico [ quorsum enim caderent stellæ , quarum singulæ longè majores sunt , quam globus Terraqueus ? ] sed de casu morali , quia ut loquitur S. Doctor : stellæ de Cœlo videntur cadere , dum suo lumine priuantur . Et licet itâ physicè fieret , non corrumperentur vi naturali , sed per potentiam supernaturalem : non ab intrinseco , sed ab extrinseco ; Deo nimirum conservativum influ- xum subtrahente . Quid si etiam textus iste acciperetur de Cometis quibusdam meteoricis , quos finem Mundi præcessuros congruū est ?

Instabis cum Cornæo Disp: 2. hic q. 5. Potius torquendus est Aristoteles in gratiam Scripturæ ditectè loquentis , quam Scriptura in gratiam Aristotelis Ethnici , corruptionem Cœli negantis ; ergo , &c. Resp: non explicari Scripturam in gratiam Aristotelis , sed in gratiam veritatis ; ratione urgente potius explico textus allatos , quam doctrinam Aristotelis : quia , ut monuit S. Thomas in Epistola ad Doctorem sui Ordinis : non attendendum quia , sed quid dicat . Addo : quod malim negare rationem , quam Scripturam ; si hæc cum ratione , mihi apparente , conciliari non possit .

58 Cœli naturaliter sunt incorruptibiles.

possit. Cæterum, licet Sac. Scriptura quædam doceat supra rationem, nihil tamen docet contra rationem: quia veritas veritati non contraria est; cum veritas una, & simplex sit.

Objicies quintò. Quæ sunt virtutis finitæ, non possunt existere infinita duratione; ut docet Aristoteles, s. Physic: t. 68. Sed Cœli sunt virtutis finitæ; ergo, &c. Ergo sunt corruptibles. Resp: Nego Maj: universaliter sumptam, nam Angeli, & anima rationalis, sunt virtutis finitæ; & tamen possunt durare in infinitum syncategorematice; ergo & Cœli. Aristoteles igitur explicandus est de mutabilibus, quæ mensurantur tempore; non de immutabilibꝫ, quæ mensurantur æternitate, aut ævo.

Objicies sextò. Ad finem Mundi cessabunt generationes; ergo & Cœlorum motus; ergo, &c. Resp: Distin: Conseq: ab extrinseco, D E O ita volente Con. ab intrinseco; ex gente aliquo principio Cœlis intraneo N. C. ubi completus fuerit numerus electorum, cessabunt generationes hominum; & consequenter generationes cæterorum sublunariorum, quorum finis proximus homo est.

Objicies septimò. Luna illuminatur à Sole; ergo alteratur. Resp: Dist: Conf: alteratione tantum perfectivâ Con. alteratione corruptivâ N. Conf: Lux non haber contrarium; ergo nihil corrumperit, dum planetæ

magis

59. )

magis illuminantur, & sic erit post diem Iudicij juxta Isaiae 30. ubi erit lux Luna, sicut lumen solis, & lux Solis erit semper plenaria.

THESES VIII.

Angeli movent Cœlos per virtutem, quam illi ad corpora loco movenda habent, vi imperij applicatam.

Ita Aristot. 8. Phys. c. 6. D. Th. 2. contra Gentes c. 23. P. Suarez. Disput: 35. Metaph: Sect. 6. n. 22.

§. I.

Declaratur & Probatur nostra Sententia.

Dico primò. Cœli non moventur à principio activo vitali, sibi intrinseco. Probatur: principium activum vitale, seu anima, non unitur corpori, illudve informat; nisi ut in eo exerceat operationes vitæ, vel vegetativæ, vel sensitivæ, vel intellectivæ [ hæc enim, tantum vita triplex à Philosophis admittitur ] Atque Cœli non sunt capaces operationum vitæ vegetativæ: quia hæc sit per generationem,

C 6

& cor-

& corruptionem, ex alimento introsumpto; Cœli autem nec corruptionis capaces sunt: nec ob vastitatem alimento vegetari possunt. unde enim suppetret pabulū Saturno? qui magnitudinem terræ continet nonages & semel. unde Jovi? qui vastitatem globi Terraquei excedit nonages quinques. unde Soli? centies sexies majori, quam sit Mundi inferioris Universum, &c.

Sed neque sunt capaces operationum virtutum sensitivæ: quia inductione constat, virtutum sensitivæ corpus esse heterogeneum; certam qualitatem temperie, organis, & instrumentis putata musculis, nervis, spiritibus vitalibus, ex sanguine progenitis] ad sensationum functiones adaptatum. Atqui ejusmodi qualitatem temperie, organorum aptitudine, carent Cœli; utpote corpora homogena, &c. ergo.

Nou sunt denique capaces operationum virtutum intellectivæ: quia hæc non requirit corpus, nisi ut per sensus corporeos colligantur species, ex quibus mens moveatur ad intelligentium; ergo cum Cœli non sint capaces virtutum sensitivæ, nec erunt capaces virtutum intellectivæ.

**Confirm.** Tota ratio Adversariorum presumebatur ex ordinatissimo motu locali Cœlorum; ut refert P. Ricciolus. l. 9. Almag. S. I. c. 8. Atqui ordinatissimus motus localis,

non

non per imperium formaliter, &c. 61  
non evincit animam intellectivam informans-  
tem; quia totus potest salvari per Intelligentiam exiti secus assistricem: sicut ordinatissi-  
mus motus navis, per assistentem Navarchum;  
ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Cœli moventur naturaliter motu circulatori; ergo moventur ab intrinseco; ergo vivunt. Resp: Dist: Ant. motu passivo Contra A. motu activo N. A. & C. Principium motus passivum, est Cœlis intraneum. Intelligentia enim assistrices movent Cœlum, quia melius creatura corporalis moverut à creatura spirituali; ut innuit S. August: l. 3. de Civitate DEI. c. 4.

Objicies secundò. Cœli generant in sublunaribus res animatas; nempe muscas in aëre: ranas in aquis: gramina in arvis; ergo dant vitam. Atqui nemo dat, quod nou habet; ergo, &c. Resp: Distin: A. generant instrumentaliter, & virtute activâ alterius C. A. principaliter, & virtute propriâ N. A. Distin. similiter Conseq: & N. C. Est hæc responsio S. Thomæ, t. p. q. 70. a. 3. ubi docet Cœlos esse instrumenta Angelorum.

Objicies tertio. Corpus Cœlestis simplex, perfectius est, quam Elementare, aut mixtum. Atqui perfectiori corpori debetur per-

fectior forma; ergo, &c. ergo Cœlo à portione debetur forma viventis. Resp: Dist: Maj: est perfectius in una ratione C. Maj. in omni ratione N. Maj. propter simplicitatem corpus Cœlestis est perfectius, quam mixtum. Sed multa corpora mixta in hoc sunt perfectiora, quam Cœlestia: quod instructa sint organis, & instrumentis, ad opera vitæ exercenda necessarijs, & accommodis. Deinde forma Cœlestis est perfectior in modo informandi, licet non sit entitativè perfectior, forma enim Cœlestis informat suam materiam inamissibiliter. Atqui illa est major perfectio in ratione corporis: quia per formam inamissibilem magis perficitur materia; ergo, &c.

## §. III.

*Declaratur & Probatur ulterius nostra  
Sententia.*

Dico secundò. Cœli moventur ab Angelis assistentibus. Probatur: virtus inferior subest connaturaliter, & gubernatur à superiore; ut ostendit S. Thom: 3. contra Gentes. à c. 77, & 1. p. à q. 103. In hoc enim est admirabilis illa connexio Universi [ quemadmodum ex S. Dionysio Areop: toties inculcat S. Thom:] quod inferiora regantur per media: media per superiora. idque plurimum decet Sapientiam DEI, ac commendat Bonitatem Divinam; eò quod

non per imperium formaliter, &c. 63  
et quod ita pulcherrimo ordine, creaturæ in Universo omnes, sibi invicem subordinantur. Atqui virtus Angelorum est superior omnibus corporeis; virtus verò Cœlorum, irtote universalior sublunaribus, est quasi media inter supremum & infimum; ergo Angeli non tantum dirigunt, gubernant, &c. homines, inter sublunaria; sed & ordinant ipsos Cœlorum motus, influxus, &c. ergo.

Probatur amplius: à motu Cœli dependet totus ordo reliquorum motuum sensibilium; ut patet inductione vegetabilium, ac sensitivorum. ergo [ cum Cœli non vivant ] Motus Cœli extrinsecus debet esse perfectior, quam Gubernator aliquis unius Regni, aut particulae Mundi inferioris; aut quam forma movens aliquod particulare corpus sublunare; ergo Motores Cœlorum sunt Angeli, seu substantiae intellectuales, sine dubio perfectiores, quam sit anima rationalis.

## §. IV.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Corpora sublunaria, etiam si non vivant, movent tamen se per aliquid sibi intrinsecum. Sic terra per gravitatem sibi intrinsecam mouet se deorsum: ignis per levitatem sursum, &c. ergo licet corpora Cœlestia non vivant, moventur tamen per aliquid

quid sibi intrinsecū localiter; ergo, &c. R. Dist. A. dum sunt in loco sibi conaturali N. A. dum sunt extra locum suum connaturalem T. A. & N. C. motus circularis convenit Cœlum etiam existentibus in loco suo conaturali; ergo ab aliquo extrinseco oritur.

Objicies secundò. Motus Cœli, primi mobilis, est primus; ergo procedit à solo Primo Motore; ergo procedit à Solo DEO; ergo, &c. Resp: Distin. A. est primus secundum quid, & respectivè C. A. est primus simpliciter, & absolutè N. A. & N. C. motus primi mobilis est primus respectu motuum inferiorum: non autem primus absolutè inter omnes omnino motus.

Objicies tertio. Si moverentur Cœli ab Angelis, moverentur ab agentibus liberis, quæ aliter & aliter Cœlos pro libitu movere possent; atqui repugnat sic moveri Cœlos, in motu suo connaturali invariabilis; ergo, &c. Resp: Dist. Seq: moverentur ab agentibus liberis, attamen in hoc negotio Divinæ Voluntati subditis C. Maj. à Divina Voluntate independentibus N. Maj. Angelii, seu Cœlorum Motores, in hac operatione sua dependent à Divina Voluntate; quæ disposuit, ut Cœlorum motus esset invatiabilis quoad circulationes.

§. V.

§. V.

*Explicatur & Probatur amplius nostra  
Sententia.*

Dico tertio. Angelii non movent Cœlos per contactum quantitatuum, cùm sint spiritus; neque per impressam illis qualitatem alterativam physicam, quam impulsum dicimus; quod probatur. Impulsus non requiritur ex ratione motū localis; quia aliàs nec DEUS posset movere corpora localiter, nisi imprimendo illis impetum, seu impulsū; quod tamen falsum est: cùm DEUS sit omnibus intimè præsens; ergo tantum requiritur impulsus tanquam instrumentum moventis; quando movens separatur à mobili. Atqui Angelus per virtutem operativam semper est immediatè præsens corpori Cœlesti; ergo frustaneus, & consequenter impossibilis est impulsus physicus.

Dico quartò. Angelii non movent Cœlos immediate, ac formaliter, per solum imperium; ita ut imperium Angelii sit formalissimè activa motio corporum Cœlestium. Probatut: activa motio Cœlorum, est actio transitens, & ad extrā; ergo recipitur in mobili, seu passo; ergo recipitur in ipsis corporibus Cœlestibus. Atqui imperium Angelii (cùm sit vel intellectio coordinans, vel voluntio bonum ordinem appetens) non recipitur in corporibus Cœlestibus; ergo, &c.

Proba-

Probatur secundò. Localis motio , intellec-  
tio , & appetitio ; sunt actus specie subalter-  
nâ diversi. ergo procedunt à potentijs , seu  
facultatibus inter se distinctis ; ergo , &c.

Probatur tertid. Licet voluntas efficaciter  
velit poni intellectiōnem ; hæc tamen forma-  
liter ac efficienter immediate ponitur per po-  
tentiam , à voluntate distinctam ; nempe per  
intellectum. neque enim ipsa voluntas for-  
maliter elicit intellectiōnem ; ergo etiam lo-  
calis motio Cœlorum efficienter , immediate  
ac formaliter ponitur per potentiam Angeli,  
ab intellectu , ac voluntate ejus distinctam ;  
ergo localis motio Cœlorum , formaliter , &  
immediate non est imperium Angeli. Unde

Dico quintid. Angeli probabilius movere  
Cœlos , per imperium determinando , & ap-  
plicando virtutem , seu facultatem physicam ,  
ab intellectu & voluntate distinctam ; quam à  
DEO habent ad corpora quævis loco move-  
da.

Probatur. Anima rationalis movet corpus  
localiter , per imperium suum applicando po-  
tentiam locomotivam. ergo à potiori id de  
Angelis , corpora Cœlestia moventibus , dicen-  
dum est ; præsertim cùm aliò modò motus  
jusmodi non possint explicari , ut patet ex hoc  
tenus dictis.

## §. VI.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Ut anima rationalis mo-  
veat localiter corpus , debet illi physicè unitis ;  
ergo etiam Angeli deberent physicè uniri Cœ-  
lis. Resp: N. C. quia agentia perfectiora ,  
perfectiore & excelleutiore modo agunt : nam  
modus operandi proportionatur modo essen-  
ti ; ergo cùm Angeli in esse perfectiores sint ,  
quam anima rationalis ; quid mirum est , quod  
etiam sine unione physica hoc agant in Cœ-  
lis , quod anima rationalis respectu corporis ,  
cui unitur. Et alias etiam DEUS deberet  
physicè uniti corporibus , quæ Ipse localiter  
moveret.

Objicies secundò. Cœli sunt insensibiles ;  
& illa virtus Angelorum nou est intellectiva ;  
ergo neq; hæc , neq; illi possunt percipere im-  
perium ; ergo illud nō possunt exerci. R: N. Illat-  
Venti & mare Christi imperio obediabant , li-  
cet insensibilia essent . & nōne defacto omnia ,  
etiam iuanimata , imperium ac Voluntatem  
DEI adimplerunt ; sunt ergo quædam imperia ,  
simil conceptus interui manifestativa ; & hæc  
solùm percipiuntur à creaturis intellectuali-  
bus. alia sunt tantum applicativa , & virtute  
suā operantur ; & hīs etiam irrationales crea-  
turae , ac potentiae , obiequuntur. nōne etc-

nim potentia locomotiva in se formaliter intellectiva est? & tamen exequitur imperium.

**Objicies tertio.** Potentia intrinsecè specificatur à termino, seu operatione, quam primò, per se, ac immediate respicit; ergo implicat, ut aliqua potentia spiritualis, primò ac per se, respiciat operationem materialem; seu terminum, qui est aliquid materiale. alias talis potentia esset spiritualis, & non esset. Atqui localis motus est operatio materialis; ergo implicat potentia spiritualis, quæ ejusmodi motum primò ac per se respiciat; ergo talis virtus, seu facultas physica, in Angelis est chimærica. Resp: primò. Nego suppositum: quod esse materialem, aut spiritualiæ potentiam, sit prædicatum specificum, constitutens speciem insimam potentiae; sed est prædicatum genericum; ac proinde debet desumiri à subiecto, in quo ejusmodi potentia recipitur. si ergo subiectum sit sp̄itus; potentia recepta erit spiritualis: si verò subiectum sit materia, aut corpus; potentia erit materialis. Species infima potentiae desumitur immediate ab ordine, ac habitudine, seu respectu, quem illa habet ad suum terminum: quia per ejusmodi ordinam una formaliter differt ab altera; ut patet inductione potentiarum visivæ, auditivæ; & autoritate S. Thomæ I. p. q. 77. a. 3. & I.

2. q. 54. a. 2. P. Suarez I. 2. de Anima. c. 2. Resp: secundò. Distin: Ant: si ly primò, ac per se, significat rationem formalem, sub qua intrinsecè potentia respicit terminum C. A. scilicet N. A. ratio formalis, sub qua Angeli potentia, corporum locomotiva, respicit motum corporum, non est motus secundum se; sed relucens in eo specialis bonitas, Sapientia, ac Providentia Divinæ manifestativa; quæ ejusmodi motus ita coordinavit, & per Angelos exequitur. Cæterum non requiri, ut potentia activa entitatè proportionetur termino, ac operationi; ita ut ipsa materialis sit, si terminus est materialis; patet in Omnipotentia Divina; & ipso imperio, per quod formaliter Cœlos moveri afferunt Adversarij. Resp: tertio. Distin: Ant: potentia operativa immaterialiter, specificatur intrinsecè ab operatione C. A. potentia operativa transeunter N. Ant: Dist: simil: Subs: & N. utramque C. Ratio disparitatis est: quia omnis forma, aut quasi forma, intrinsecè specificans, debet uniri, aut identificari specificato. Atqui operatio transiens, nec unitur, nec identificatur suo principio operativo; ergo non potest illud intrinsecè specificare. At verò operatio immanens, in creatis, est accidens inhærens potentiae; ergo operatio immanens potest suum principium, quod est operativum, intrinsecè specificare. atque

que adeò si operatio immanens est materialis; implicat, ut procedat à potentia spirituali; & vicissim, si operatio est spiritualis: implicat, ut procedat à principio materiali, & quanto, per hoc enim accidens materiale essentialiter differt ab accidente spirituali: quod materiale essentialiter exigat inhærente subiecto materiali, & quanto; spirituale verò exigat inhærente subiecto immateriali. Et quia motus recipitur in mobili; implicat, ut operatio transiens, seu motus, sit spiritualis, si mobile sit materiale: & vicissim. adeòque cùm mobile, in præsenti negotio, sit corpus Cœlestis, materiale, ac quantum; motus localis, seu operatio constitutiva corpus Cœlestis formaliter motum, necessariò est materialis. Unde ulterius patet, quod motus iste localis, potentiam Angelicantum specificet, ac denominet extrinsecè, talis effectus productivam; Cœlos verò denominet intrinsecè motos: quia non recipitur intrinsecè in potentia Angeli, sed in corpore Cœlesti, utpote mobili. siquidem universaliter verum est (ut suō locō probatum est) motum, seu operationem trahentem, non recipi in movente, sed mobili,

\*\*



## THEISIS IX.

**Corpora Cœlestia operantur**  
varios effectus in sublunaribus.

*Ita S. Dionysius. c. 4. de Div. Nomin. S.  
Aug. l. 13. de Trinit. c. 4. & alij. SS. PP. Ari-  
stot. l. 2. de Cœlo. c. 3. 2. de Generat. c. 10. D.  
Th. ibidem. & 1. p. q. 115. a. 3. PP. Conimbr.  
in l. 2. de Cœlo c. 3. q. 1. a. 2. & alij Do.  
Flores Societatis, unanimi consensu.*

## §. I.

*Probatur nostra Sententia.*

**P**rimò ratione S. Doctoris l. 3, contra Gen-  
tes c. 82. Sicut se habet simpliciter ad sim-  
pliciter: ita se habet tale ad tale. Ergo sicut se  
habet immobile simpliciter, ad motū simpliciter:  
ita se habet immobile motu alterationis, ad motū  
alterationis. Atqui immobile simpliciter Deus,  
utpote Causa Prima, influit in omnia omnino  
corpora mobilia, tanquam illorum Causa; er-  
go etiam corpus immobile motu alterationis,  
influit in omnia corpora mobilia motu altera-  
tionis; sed Cœlestia corpora sunt immobilia

motu alterationis; quia sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, ut probatum est: & omnia corpora sublunaria sunt alterabilia; quia sunt corruptibilia; ergo, &c.

Probatur secundò ratione ejusdem 1. p. q. 155. a. 3. Omnis multiformitas procedit ad uniformitatem; non minùs, quam multitudo ab unitate. Atqui omne corpus sublunare habet se multiformiter: quia mutabile est; adeoque aliter, & aliter se habet; ergo, &c. Subsumo. Atqui corpora Cælestia, in genere corporum, habent se uniformiter; cum à generatione, & corruptione sint immunia; ergo, &c.

Probatur tertio à poster: Experientia manifesta ostendit, quod Sol motu suo adferat quietum partium anni, frigoris, calorisque vicissitudines; adeoque diversissimos rerum ortus, ac interitus. Eo oriente vigent flores, plantæ, animalia, &c. eo meridiante flaccescunt, & languent; fruges, & fructus, eo excoquente maturantur; in Vero prævalet sanguis: in Aestate flava bilis: in Autumno atra: in Hie me pituita; ob majorem solis ad nos accessum, vel recessum, &c. Item: quod ad Lunæ decrementum, vel accrementum, crescent, & decrescent æstus maris; cancri, ostrea, conchylia, &c. ut observavit Aristoteles. l. 4. de part. animal. c. 5. Plinius. l. 3. Hist. natural. c. 41.

ral. c. 41. & 99. quod astra quædam, ortu & occasu, certo aspectu & concursu, efficiant ubertatem, aut sterilitatem terræ; procel las, aut tranquillitatem maris; obsint, aut cōducant, ad curationem corporum; ut notavit Galenus l. 3. de diebus Criticis. Denique peritiores Astrologi dicunt, quod Mars aspectu suo bilem flavam: Saturnus atram: Sol, & Jupiter sanguinem: Luna pituitam augeat. quod Sol dominetur auro: Luna argento: Mars ferro, & chalybi: Mercurius argento vi vo: Venus cupro & aeri: Jupiter stanno & electro: Saturnus plumbo; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Omne agens assimilat sibi effectum; sed Cœlum non assimilat sibi corpora sublunaria: cum multa vivant; neque Angeli sibi assimilant corpus ullū: cum sint incorporei; ergo, &c. R. primò D. Maj: Omne agens assimilat sibi effectū, vel in ratione sua, vel in ratione alterius, cum quo constituit unā causam adæquatam; idque vel formaliter, vel eminenter C. Maj. semper in ratione sui, aut semper formaliter N. Maj. Dist. similiter Min. & N. C. sic etiam substantia producit accidens; quia præcontinet illud eminenter: licet ipsa substantia non sit formaliter acci dens.

dens. Unde Resp: 2. Distin: Min: Cœlum seorsim , & in sensu diviso, non assimilat sibi corpora secundum vitalitatem C. Min. Cœlum in sensu composito , ut conjunctum intelligentiæ viventi N. Min. Distin: similitud 2. part: Min. & N. C. Angelus cum corpore Cœlesti assimilat sibi corpora: Cœlum cum Angelo assistente acceptum , assimilat sibi viventia ; non quidem similitudine univocâ, sed æquivocâ. quia Cœli sunt corpora incorruptibilia ; sūntque causæ universales , ac æquivocæ respectu sublunarium : non verò particulares , & univocæ. Resp: etiam potest 3. Intelligentia non assimilat sibi corpora esse reali C. Min. in esse intentionalí N. Min: Intelligentia non est forma in materia ; cognoscit tamen formam , in materia existentem : & secundum hanc formam , intentioniter existentem , movet Cœlum. Sic etiam artifex , non est realiter similis e. g. gladio, sed intentionaliter ; in quantum forma gladij existit in mente artificis : vi cuius idea realiter efficit gladium , adhibitis instrumentis corporis , in qua virtus agentis artificis derivatur.

Objicies secundò. Ex rationibus allatis queretur : quod Astroligi ex constellatione quæ horâ nativitatis accidit , possint prædicere nascentis sanitatem , robur , temperatum corporis , vitam longam , aliisque effi-

ctus purè naturales. Atqui Sequela est falsa : & contra mentem Ecclesiæ ; ergo , &c. Resp: Dist. Seq: fallibiliter , & per conjecturam C. Maj: infallibiliter , & per certitudinem omnimodam N. Maj: Dist. similiter Min. & N. C. ad ejusmodi effectus non tantum concurrit siderum aspectus , & constellatio ; sed etiam in viventibus perfectis , concurrit semen , quod interdum est defectuosum. Temperamentum etiam pender à nutritione : vita longa, aut brevis , à casibus fortuitis , ac violentis , dependentibus ab hominum libertate : qui cursum naturalem , ex constellatione derivatum , scepissime interturbant. imò quovis minuto variatur constellatio ; ergo situs , & aspectus siderum , tam accurate notari non potest ab Astrologo , qui frequenter in prædictionibus ex hora nativitatis decipiatur.

Objicies tertio. Juxta Aristot. 7. Phys: t. 80. principium activum corporeum , & movens , debet esse contiguum mobili , seu principio passivo ; cùm non derur actio in distans. Atqui Cœlestia corpora non sunt cōtigua cum sublunariis , sed remotissimè distant ; ergo non possunt agere in sublunaria. Resp: Explico Aristot: cum Dist: Maj: debet esse contiguum ; vel supposito , vel virtute activâ C. Maj. semper supposito N. Maj: satis est , quod agens propaget virtutem activam per inter-

media corpora , ita ut ab uno imprimatur alteri consequenter usque ad passum. Atqui sic influunt Cœlestia corpora : nam primum mobile imprimit virtutem corpori vicino, i. stud secundo, secundum tertio, &c. ergo.

Urgebis. Si in corporibus intermediis imprimetur virtus alterativa, etiam ipsa alterentur ; ergo in corporibus intermediis producentur idem effectus, qui e. g. in terræ visceribus, ubi excoquitur aurum ; atqui hoc est falsum ; ergo, &c. Resp: N. Seq: quia cuiusvis agentis virtus, recipitur accommodatè ad naturam recipientis, juxta illud : *quidquid recipitur, per modū recipientis recipitur.* hoc est: quævis forma coīmunicat suū effectum formalem , juxta aptitudinem , & proportionem subjecti ; illa autem corpora intermedia sapientia non habent eandem aptitudinem , ac capacitatem subjecti ad alterationem , quam habent remotiora , melius ad id disposita. Et sic Luna ciet æstum maris in aqua, non in ære ; magnes trahit ferrum , non vitrum interpositum; torpedo pisces facit obriegescere manum piscatoris , non autem hamum, aut aquam intermedium.

## THEISIS X.

Astra non influunt per se, ac immediate in ullam substantiam spiritualem ; nec in voluntatem , aut intellectum hominis. influunt tamen in hunc, & illum , per accidens , mediatè , ac indirectè.

Ita Aristoteles. D. Thomas. 3. contra Gentes à c. 84. 1. p. q. 115. a. 5. & 1. 2. q. 9. a. 5. PP. Conimbr. in l. 2. de Cœlo c. 3. q. 8. ab a. 1. & Doctores Societatis IESV plerique omnes.

§. I.

*Declaratur & Probatur nostra Conclusio.*

Dico primò. Nullum corpus Cœlestis potest immediatè, directè , ac per se influere in ullam substantiam spiritualem. Probatur : agens corporeum non potest per se, ac immediatè, agere in ens spirituale. Atqui anima rationalis est ens spirituale : ut docet Fides, & evincit ratio in Animaistica ; ergo. Maj. prob: entia inferioris ordinis, non possunt agere per se , & immediatè , in entia ordinis su-

perioris: quia imperfectiora (tum ex ordinazione Autoris Sapientissimi : tum ex natura sua) subsunt perfectioribus. Atqui omne ens spirituale est perfectioris, & altioris ordinis, quam corporeum; ergo, &c.

Confirmatur. Modus operandi sequitur modum effendi. Sed astra & Cœli sunt corpora materialia ; ergo agunt modo corporeo, & materiali. ergo illa, quæ recipiunt immediatè, & per se influxum Cœli, debent recipere motum materialem, & corporeum. sed spiritus non potest recipere aliquid corporeum ; nō enim in ordine ad actum substantialem materialem : quia caret potentiam materiali recipi vâ ; cùm sit exp̄s materiæ primæ. nec etiam in ordine ad formam accidentalem materialem ; quia est contra efficientiam accidentis materialis, produci in & ex subiecto immateriali, & quantitatis experte ; ergo, &c.

Objicies. Dæmones, qui sunt spiritus, per certas herbas, verba magica, &c. advocantur, & arcentur. Item obsessi à Dæmonibus, Lunatici, accrescente Lunâ, magis divexantur, &c. ergo corpora inferiora agunt in Dæmones; ergo à potiori corpora Cœlestia (ut post sublunaribus perfectiora, & illis magè activa) possunt agere in spiritus. Resp. Dist. A. advocantur, & arcentur, tanquam per signa Dæmonibus aliquid significantia C. A. tan-

quam per causam, aliquid in ipsis operativam  
N. A. Dæmones, superbiae spiritus, cultum  
affectant; unde dum tacitō, vel etiam mani-  
festō pœtē illis signum certum venerationis  
exhibetur, adsunt, liberēque operantur; tum  
quia sic corpora ad effectus intentos magis de-  
prehenduntur disposita: tum ut persuadeant e-  
iusmodi herbis, &c. inesse aliquod Numen,  
& sic in errorem inducant credulos: tum ut  
dehonestent creaturas D E I, utendo illis in  
sceleris consortium.

Dico secundò. Nullum corpus Cælestis influit per se, & directè, in intellectum, aut voluntatem hominis. Probatur: quia intellectus, & voluntas hominis, sunt potentiae in entitate sua purè spirituales; ergo sunt altioris ordinis, quam astra, & Cæli, utpote corpora, & entia materialia. Atqui ens inferioris ordinis, non potest directè, & per se, influere in ens altioris ordinis; ergo, &c.

Confirmatur specialiter de voluntate. Voluntas est libera; ergo nullum agens directe, & per se, in illam influit, quod necessariò inferat effectum, seu actum voluntatis. Atqui Caeli & astra sunt agentia necessaria, necessariò cum suis effectibus connexa; nam agentia naturalia feruntur ex natura sua semper ad unum determinatum; neque relinquunt indiferentiam ad oppositum; ergo, &c.

Objicies primò. Astrologi ex motu astrorum prædicunt bella, seditiones, aliósque eventus, ab humana libertate dependentes; ergo, &c. Resp: Distin: A. prædicunt probabiliter, & in omni C. A. infallibiliter, & in particulari N. A. & C. nōrunt Astronomi, quòd potissima hominum pars sequatur sensuales inclinationes, & passiones suas: nōrunt etiam, qui fiderum concursus, influxu suo, moveant hanc vel illam passionem sensualem, e.g. iram, tristitiam, &c. à quibus dependent seditiones, desperatæ mortes, &c. quia tamen quivis homo in particulari, passiones suæ frænare potest, iisque resistere [juxta illud Spiritus Sancti Gen: 4. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* & alterum Proclomæi in Centiloquio: *sapiens dominabitur astris*] idcirco Astronomi de homine aliquo particulari, similia, ex solo astrorum influxu, infallibiliter prænunciare non possunt.

Objicies secundò. Astra participant virtutem ab Angelis assistentibus. Atqui Angeli possunt directè, & per se, operari aliquid intellectu, & voluntate humana; ergo & astra. Resp: Dist. Maj. participant virtutem ut instrumenta, in ordine ad effectus sibi proportionatos C. Maj. ut causa principalis, & in ordine ad effectus sibi improportionatos N. Ma. T. Min. & N. C. Angeli possunt illuminare intel-

intellectum, & voluntatem inclinare, objectum amabile proponendo; sed non possunt astra, velut instrumenta, in ijs potentijs operari: cùm astra sint corpora, adeoque instrumenta ad spirituales actus voluntatis, aut intellectus, improportionata. sic pictor etiam peritissimus non potest pingere imaginem malleo, vel ferrâ; quia hæc instrumenta sunt improportionata.

Objicies tertio. Licet Cælesti corpus se solo, & in sensu diviso, non sit proportionatum ad vivens producendum; tamen redditur proportionatum per conjunctionem cum Angelo. ergo per ejusmodi conjunctionem etiam sit proportionatum ad influendum in animam, aut spiritum. Resp: N. C. quia Cælesti corpus est proportionatum viventi materiali, sicutem quoad gradum materialitatis: licet non sit quoad gradum vitalitatis; & cùm viveut illa sint materialia, possunt recipere motum corporeum, ac materialem. Virtus vero Angelii, etiam conjuncta Cælesti corpori, uititur illo ut instrumento; adeoque operatio illius, per corporeitatem Cœli restringitur, ut nihil agat nisi corporeum. Unde non potest illo instrumento aliam vitam producere, quam corpoream, ac materialem.

## Declaratur amplius Thesis.

Dico tertio. Astra indirectè, & per accidens, influunt in intellectum & voluntatem. Probatur: quia astra influunt in corpora humana, eorumque organa sensitiva, derivando in illa qualitates varias; dum vel accēdunt sanguinem circa cor: itaque movent appetitum irascibilem; vel alterant humores alios: & consequenterphantasiā imbuunt. Anima autem, in intellectibus ac volitionibus, multū dependet à corpore, ejusque instrumentis, spiritibus animalibus,phantasiatis, &c. quia ad hæc sequuntur variæ apprehensiones, appetitus sensuales, &c. quibus voluntas inclinatur; sed non cogitur: quia sapiens dominabitur astris. Unde

Addo: ejusmodi influxum fieri, citra læsiōnem libertatis, absque fatali necessitate, quam Astrologia judiciaria admittit. Ita definivereunt SS. PP. & Concilia: Toletanum I. contra Priscillianistas; Bracharense I. Can. 8. VI, Synodus Can. 61. ita S. Thomas. 1. 2. q. 9. a. 5. & 1. p. q. 115. ab. a. 5.

Ratio est: quia nihil imponit necessitatem voluntati, nisi quod directè, per se, & immediate illam immutat. Atqui influxus Cœlum materialis, non sic immutat voluntatem spiritualē, ex dictis; ergo, &c.

Secundò: quia aliás cessabit omnis honesta, & laudabilis vitæ ratio; tolletur omne meritum, & demeritum; atque adēt omnis pœna delicti, & præmium virtutis.

Tertio: quia ut argumentatur S. Augustinus l. 7. Confess. c. 6. compertum est: multis eodem conceptos tempore, & eodem siderum aspectu natos, moribus, vita instituto, &c. fuisse disparatissimos: quod ipsum illustrat Cicero l. 2. de Divin. exemplo Euristhenis, & Procli, gemellorum: S. Ambrosii: exemplo Jacob, & Esau, &c.

Quartò: si astra voluntati fatalem impingerent necessitatem; tunc Dæmones, quibus virtutes, & situs astrarum manifestissimi sunt, possunt infallibiliter prædicere futura contingentia, quæ ab humana voluntate pendent. Atqui ea prædicere non possunt infallibiliter; quia saepè in prædictionibus suis fefellerunt. nam Oenomanus, Græcus Autor, libro integrō falsa Apollinis oracula colligit. Nē verò Dæmonum superbissimorum ignorantia deprehenderetur; consulti saepè ambigua ex Idolis dedere responsa, ut refert Cicero l. 2. de Divinatione, tale fuit oraculum, quod Cræsus redditum est ex Herodoto: Cræsus Halimus penetrans magnam pervertet opum vim. nesciebat, an opum suarum, an hostilium. & Pyrrho Æaco, Achillis nepoti, Imperium Romæ ambienti,

ambienti, ex Ennio: *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* nesciebatur, an illum Romani, an ipse Romanos superaturus esset.

Quintò: si quis fustigaret Astrologum, frustrà iste deprecaretur, ut percussor cœlaret. Si enim voluntas fatali astrorum influxu cogitur, cessare pro libitu non posset; quod si ex arbitrio suo cessare possit, evidens est, non cogi ab astris voluntatem.

Sextò. Experienciam constat, quod quivis liberè pacta ineat, eaque liberè violet in statu Politico; alias injuriæ reus frustrà citaretur ad tribunalia. Item: quod quivis liberè locum mutet; eat, redeatque in diversas Regiones, & variet clima: ubi astra aliter, & aliter operantur; ergo, &c.

Septimò denique Ille solus habet dominium coactivum in operationes animæ, qui habet dominium in ejus esse. Atqui astra non possunt habere dominium in ejus esse; cum anima, utpote sp̄itus, creata sit; ergo, &c.

### *s. III.*

*Quæstio curiosa huc pertinens resolvitur.*

Quæres hic: quid ex Cœlorum aspectu Astrologi prædicere possint? quid non possint? Resp: primò: de hominum moribus, de temperamento, ingenio, &c. nihil physicè certi, ex solo siderum aspectu, possunt prædicere. Probatur: quia mores pendet à disciplina, sensu

stuale

suales appetituum motus coërcente: potestq; voluntas libera, omnes, ex astris sui inclinations, reddere irritas. Ex temperamento quidem multū pendent ingenij acumen, cœteræque naturæ dotes; sed astra non sunt temperamenti adæquata causa: siquidem in illud muletum quoque influit materiæ dispositio, virtus formatrix parentum, nutritio, &c. ergo. Vide S. Thom: 2.2. q. 95. a. 5.

Resp: secundò: fortunam, aut infortunium certum alicujus hominis particularis: quodnam officium, quos honores sit consecuturus? quâ morte, aut quando sit moritus? &c. Astrologi certò prænunciare non possunt. Probatur: quia felicitas, honor, &c. ipsaque mors hominis in particulari, dependet à multis causis: sūntque impedimentis plurimis obnoxia: quæ ferè omnia dependent ab hominum libertate. Atqui libertatis determinationem prævidere non possunt; ergo nec ejusmodi eventus certò prænunciare.

Confirmatur: ab exordio Mundi nunquam omnino eadem Cœli facies rediit; quâ igitur ab experiencij certitudine possunt ea prænunciare, quæ mutatâ etiam unicâ circumstantiâ variantur?

Resp: tertii. Eventus physicos, à multis causis dependentes; ut sunt pluviae, venti, serenitas, &c. pro determinato die, hora, &c.

86 · *Astra per se non influunt in volunt.*  
non possunt certò prædicere. Ratio est: quia  
ad hæc plurimæ causæ , earumque impedi-  
menta concurrunt; estque moraliter impossi-  
bile omnes omnino prævidere , & combinare;  
ergo, &c.

Confirmatur experientiâ fallaciæ , quâ  
scatent Kalendatia. Et nōnne dissentiant A-  
strologi, errantque in observatione motuum  
sensibilium? quomodo igitur infallibili certi-  
tudine, ea prædicere possunt, quæ variatâ eti-  
am occulti influxus circumstantiâ , evenite  
aliter possunt? ergo ignoratis multis virtu-  
tibus astrorum occultis, certò prævidere non  
possunt ea, quæ ab illis dependent.

Attamen petiores Astronomi, possunt ex  
astris prædicere , certitudine physicâ , illos e-  
ventus, qui à manifesto , cōque solo astrorum  
influxu pendent. Probatur ab experientia:  
quia secundūm eorum prædictionem eveni-  
unt æquinoctia, solstitia, novi - & plenilunia,  
concursum planetarum, eclipses, &c. Certè P.  
Ricciolus l. 5. Almag: c.21. computatas habe-  
nt eclipses usque ad annum 1700. eventuras.

Ratio à priori est: quia Astronomi petito-  
res, magna certitudine exploratos habent cur-  
sus, virtutes astrorum ; & hæc sunt causæ ne-  
cessariæ: neque à cursu naturali impediuntur  
in ijs, quorum ipsa sola causæ sunt; ergo tales  
effectus physicos eventuros possunt certitudi-  
ne physicâ prænunciare.

THE

( 87. )

## THESIS XI.

Cæteris paribus , corpora in  
gravitate imparia , impari velocitate  
moventur deorsum; graviora namque veloci-  
tus, minùs gravia tardius.

Ità Aristot: 1. de Cœlo t. 89. D. Thom:  
ibidem. P. Compton. Disput. 14. de Gener. S. 2.  
P. Claudius Franciscus Milliet , de Chalos Philo-  
sophus, & Mathematicus, à Mundo Mathematici-  
co , Lugduni Anno 1674. tribus Tomis edito ,  
in Eruditissime Mundo estimatisimus.

§. I.

Explicatur & Probatur nostra Sententia.

C oncluditur cæteris paribus. Si enim alia  
præter gravitatem , in corpore recepta ,  
sunt imparia; non est dubium, quin corpus mi-  
nùs grave, æquali, aut etiam majori velocita-  
te deorsum moveri possit. quia multa alia,  
præter gravitatem , ad velociem descensum  
juvant; multaque in eodem corpore conjun-  
cta, illud saepè impediunt à velociore descensu.  
sic si

sic si corpus minus grave sit acutius; erit ad scindendum aetrem ( aut quocunque medium resistens ) aptius, adeoque scindendi virtute potest compensare excessum gravitatis, qui est in alio corpore graviore, sed ad dividendum aetrem, &c. minus idoneo. Item globus plumbeus minor, & ob quantitatem minus gravis quam ligneus grandior, saepe maiore velocitate descendit; quia in globo ligneo, utpote ob raritatem poris undique patentibus, aer recipitur; qui non nihil impedit, ac retardat descensus velocitatem. plumbum autem, quia densum est, & poris caret, immune est ab ejusmodi retardante impedimento, &c.

Probatur nunc Conclusio. Gravitas est virtus productiva motus deorsum. Atqui universaliter ex Philosophia constat, quod ceteris paribus major virtus, sufficienter applicata, majorem producat effectum; ergo major gravitas majorem ( id est velociorem ) motum deorsum producit.

Confir: primò. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis. Atqui gravitas simpliciter producit motum deorsum; ergo major gravitas majorē motum. Sed major motus deorsum est descensus velocior ( ut patet intelligenti terminos ) ergo, &c.

Confirmatur secundò. Ignis, quia subtilior, ac levior est, velocius ascendit, quam vapores,

pores, ac nebulæ. idem est de alijs levibus, si cetera sint patia. si enim unius ascensus fieret in aqua, & alterius in aere; media forent diversa: aqua enim, utpote densior, non æquæcedit corpori ascendenti, ac aer, qui est rarius, adeoque permeabilior, ergo magis levia, ceteris paribus, velocius ascendunt, quam minus levia. ergo etiā magis gravia velocius descendunt, quam minus gravia. sicut enim se habet levitas ad ascensum, seu motū sursum: ita se habet gravitas ad descensum, seu motum deorsum; nempe ad centrum.

Confirmatur tertio. Fortior causa, ceteris paribus, fortius agit, quam causa debilior. sic ignis grandior, magis calefacit, quam minor, &c. Atqui major gravitas est causa fortior: & minor gravitas est causa respectivè debilior; ergo major gravitas fortius agit, & impellit deorsum, removetque impedimenta, &c. quam minor gravitas; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò cum P. Arr. Calamus, & cultellus, pari velocitate decidit. idem alijs experientijs se deprehendisse affirmat; ergo, &c. Resp: ut velocior gravium motus deprehendatur, non esse eligendam altitudinem modicam; quia ob brevissimam moram occlus non facilè discernit, accipienda quoque sunt

sunt corpora, in gravitate notabilitet imparia: his acceptis Bononiæ, Parisijs, & ubique curiosior Philosophia floret, millesis experientijs compertum est: corpora magis gravia velocius decidisse, etiam ad oculi sensum. quando videlicet e. g. globulus plumbeus fuit majoris alligatus, minor etiam notabili spatio ex parte alta turri prius demissus, velocitate majoris superatus est adeo, ut filum laceraretur; ergo experientia unius, experientijs multorum soluta est.

Objicies secundò. Si gravia caderent in qualiter, deberent cadere proportionaliter ad majorem gravitatem; atque adeo corpus centuplo gravius, deberet centuplo velocius cadere, quam minus grave. Atqui hoc est contra manifestam experientiam; ergo. Seq: prob: ideo cadit corpus simpliciter, quia est simpliciter grave; ergo si est centuplo gravius, cadet centuplo magis, seu velocius; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis. Resp: Distin: Seq: Maj: proportionaliter, secundum proportionem aliqualem, & geometricam C. Maj: secundum proportionem omnimodam, & arithmeticam N. Maj: ad prob: Dist. C. ceteris paribus T. C. ceteris imparibus N. C. Proportio geometrica est, quando crescentे uno, etiam quidem crescit alterum; sed non tantum.

tantudem, arithmeticā verò, quando crescente uno, alterum ad æquales quasi numeros crescit. Ratio responsi est: quia in motu deorsum, plura concurrunt ex parte causæ, quam sola gravitas: confert enim ad velocitatem etiam figuram; quia figura angustior & acutior, facilis facit dividī medium, per quod fertur corpus: nam corpus acutum habet minorem resistentiam, quia dividit minus. facilis proinde est facere minorem divisionem, quam majorem. Confert etiam ipsa densitas, & durities corporis cadentis ad velocitatem; quia corpus durum, ac densum (ceteris paribus) dividit facilis aerem, &c. quam rarus, & molle. ergo descensus corporis gravis pender à multis circumstantijs; ergo his mutationis, non potest omnimodā, & arithmeticā æqualitate crescere velocitas; sicut crescit gravitas.

Atque ex jam dictis eruitur ratio: cur plumbum extenuatum in laminam, supernatæ aquæ: licet contractum in globum submergatur; quia nimicum lamina, secundum latitudinem, multas partes aquæ contingit: & sic aqua dividenda, conjunctis plurium viibus magis resistens, impedit descensum, qui requirit corporis intermedij divisionem. item: cut aves, dum gregatim volant, naturali instinctu sese disponant in figuram cunei; quia nimicum

nimirum figura acutior, facilius dividit aerem. siquidem figura ejusmodi pauciores resistunt aeris dividendi partes; divisum autem primis partibus, reliqua dividuntur facilius.

Denique: cur gravia, ceteris partibus, in aere cadant velocius, quam in aqua: aer enim est rarer, quam aqua; adeoque dividitur ille faciliter, quam ista. corpora enim densiora, difficilius admittunt corpus dividens, eique omnimodo magis unitam fortius resistunt, quam rariora; ut patet inductione.

Objicies tertio. Falsum est, quod motus retardetur ab aere; adeoque quod minus grave, tanquam difficilius movens, majorem patientur retardationem: aer enim non obstat cadenti e. g. lapidi; sed potius supra illum sponte se levat; & lapide adhuc protrudit. Ergo Resp: N. A. & ejus prob. ipsa enim natura dicitur rusticis, tabulas maiores ferentibus, ut eas non collocent in transversum, sed in longum; quia nimirum sic faciliter dividitur, & cedit aer. Secundum: dum globus bombardae exploditur, sibilat; idque non alia de causa sit, quam quod aer resistens vindatur, & collidatur. Tertio: aqua de sublimi effusa, in variis partibus dividitur, non ab alio, quam ab aere resistente; ergo, &c. Et ratio a priori est: quia per motum dividitur aer; alias duo cor-

pore sese penetrarent; atqui omne corpus resistit divisioni, tanquam suo malo: nam per divisionem destruitur rei unitas; bonum autem & unum convertuntur; ergo per divisionem petit corpori aliquod bonum; ergo aer resistit motui, per quem dividitur. igitur verum quidem est: quod aer sese supra cadentem lapidem elevet; sed postquam violenter infra aereum fuerit prius depresso.

Objicies quartu. Quaelibet pars e. g. lapidis trudit se ipsam deorsum, & non aliam: unde tam faciliter una pars lapidis trudit unam partem aeris, quam centum centenas; ergo necessum est: corpora, quomodounque inaequaliter gravia, & equaliter cadere. Resp: N. A. partes enim sunt unione physica continua; ergo impossibile est, ut una se ipsam trudat deorsum, quin etiam ceterae, illi unitae, trahantur deorsum. deinde Dist ly tam facile: quoad proportionem aliquam C. quoad omnimodam aequalitatem N. & N. C. vide responsa ad Objectionem secundam.

Objicies quintu. Tam faciliter dividitur modica pars aeris, a modica parte lapidis, quam engens ab ingenti; ergo tam faciliter dividitur una ab una, quam centum a centenis; ergo, &c. Resp: iterum Dist: A. & C. tam facile,

quoad proportionem aliquam , & geometricā C. tam facile , quoad omnimodam , & arithmeticā æqualitatem N. relege dicta Objectione secundā.



## *THESIS XII.*

Probabilius corpus projectū, à projiciente (ut causa motū principali) separatum , fertur tum à qualitate physica, corpori projecto impressa: tum ab aëre, impetu projicientis commoto ; ob periculum vacui, sese retrahente, & corpus projectum quadam tenus adurgente. adeoque [probabilius sunt duæ causæ, partiales, instrumentales, illius motū, quod corpora projecta feruntur.

*Ita Card: Toletus in 8. Phys: c. 9. t. 86.  
Dubio annexo. PP. Conimbr. in 7. Phys:  
c. 2. q. 1. a. 8.*

### *§. I.*

*Declaratur & Probatur nostra Sententia.*

Probatur. Et aér (e. g.) & lapis, sunt corpora proportionata ad impetum projic-

entis

entis recipiendum; neque solus aér ad projectionem urgendam sufficit ; ergo probabilius dicitur , quod ambo adjuvent. Tota difficultas est, ut ostendatur : quod solus e. g. aér , à projiciente commotus , non sufficiat ; id quod sic probari potest.

Primo : quia virtus instrumentalis operatur secundum proportionem subjecti ; aér autem solus, non est instrumentum satis proportionatum : quia non est solidus , ut urgeat , ac moveat vehementissimas ejectiones , vel fulminis , vel globi plurium librarum , & c. quæ fiunt in aëre. aér enim facile dividitur veniente corpore : cum sit tenuissimus , ac cessilis ; ergo , &c.

Secundo : quia aér est corpus mobile in omnem partem ; & implendo vacuum , possit torquere corpus projectum , jam sursum , jam deorsum ; ergo solus aér non sufficit ad prosequendum motum e. g. globi tormentarij, aë sagittæ , directissimè ad lecopum propulsæ ; ergo illa regularitas motū debet particulariter etiam refundi in impulsū , quem projiciens globo aut sagittæ impressit.

Tertio: globus unus , validè ejectus , mouet secundum : secundus tertium , &c. ergo ipse globus habet virtutem motricem , sibi à projiciente impressam , quam secundo communicat , &c. ergo non solus aér movet.

Quarto :

Quartò: quia aér , etiam validissimè à vento impulsus, non abripit lapidem ; qui etiam leví impetu, contra ventum projectus, ingeritur, ac movertur; ergo, &c.

Quintò: quantumcunque à brachij agitatione moveatur aér; non propellet partem e.g. plumbi notabilem, è filo pendulam : quia tamen moveretur facile imperu sibi à manu immediatè impresso ; ergo, &c.

Sexto: sagitta dicitur è cœcta, velociusmoveatur, quam transversa. Atqui hoc non fieret, si solus aér , ab arcu commotus, propellerebet; quia transversum melius posset attinere, ac protrudere, quam directum ; ergo, &c.

Septimò: duæ sagittæ, altera gravior & solidæ, altera levior & cava , eadē arcū vi cœcta, inæqualiter provolant ; licet aér æquale moveatur, & ijs succedens vacuum impenetrando, illas protrudat. ergo signum est, quod præterea ab impetu arcū sagittis imprimatur impulsus; qui in densiore magis unitim receptus, validior est, quam in excavata, ergo præter motum aëris, vacuum impedientis : & dum locum à tergo occupat, corpus projectum urgentis ; admittenda est qualitas , à projectante corpori projecto impressa ; quæ sit projectantis vicaria , & instrumentalis causa ultioris motus : tum viribus projicientis, tum capacitatib[us] rei projectæ , proportionati ; ergo &c.

Objicies primò. Aristoteles 8. Physic: t. 82. 3. de Cœlo. t. 2 8. & alibi (ut fusiūs vide- re est apud P. Pererium l. 14. Physic: c. 5.) nullam facit mentionem qualitatis, corpori projecto impressæ ; sed tantum aëris, ob periculum vacui à tergo urgentis; ergo Conclusio est contra Aristotelem. Resp: N. C. Affirma- tio unius non est negatio alterius; nisi particula alterius exclusiva addatur. Aristoteles autem nullibi negat illam qualitatem : licet illam expresse ibi non afferat. sequitur ergo solùm, quod Conclusio addat aliiquid præter dicta ab Aristotele : ob allatas suprà rationes ; non autem, quod dicat aliiquid contra Aristotelem. Et licet alicubi excluderet talem qualitatem ; respondent tamen Conimbricenses in Paraphraesi ad l. 3. de Cœlo. c. 2. id non factum ex sensu proprio Aristotelis : sed ex sententia aliorum, suo tempore famosa.

Objicies secundò. D. Thom: in 3. de Cœlo. Lect. 7. expresse negat ullam virtutem, aut qualitatem imprimi projecto; ergo saltē Conclusio est contra S. Th: Resp: Explicando S. Th: cum Dist. virtutem, aut qualitatem permanentem, & connaturalem ; quæ sit in projecto, ut forma propria in genito C. A.

*virtutem , aut qualitatem transeuntem ; & projecto [ ob gravitatem ] violentam N. A. & Cons.* Verba S. Thomæ ibidem sic sonantur: *non est intelligendum , quod virtus violenti motoris , imprimat lapidi , qui violenter moveatur , aliquam virtutem , per quam moveatur ; sicut virtus generantis imprimat genito formam , quam consequitur motus naturalis . ergo , &c.*

Urgebis. Si motus ille corporis projecti esset à qualitate ipsi intrinseca , non esset violentus ; atqui est violentus ; ergo , &c. Resp: D. Major: non esset violentus qualitati impressæ C. Sequel: Maj: gravitati , motum alium , nempe deorsum , exigent N. Sequel: Maj: non omnino , quod est intrinsecum , est connaturale ; sed quod est ita intrinsecum , ut sit à generante , & exigatur à substantia , cui inest ; aut non contrarietur ulli qualitati , quæ naturaliter subiecto competit , ac illi intrinseca est . si calor inhæret aquæ ; attamen est violentus aquæ , nempe nativum frigus exigenti.

Replicabis. Aqua per violentiam calefacta , connaturaliter calefacit manum ; ergo etiam si per violentiam inesset illa qualitas , seu impulsus , iapidi ; connaturaliter moveret lapidem . Resp: Dist. Antec: si ly connaturaliter appellaret super solum calorem C. A. si appelleret simul supra aquam N. A. Dist. similiter C. & N.

Cons:

Cons: ut aqua calida in concreto dicatur connaturaliter calefacere , requiritur : ut nec aquæ secundum se , nec formæ inhærenti opponatur ejusmodi effectus . est enim bonum [ etiam connaturale ] ex integra causa , malum ex quolibet defectu . Atqui calefactione opponitur aquæ , nativum frigus , & frigefactionem exigenti ; ergo , &c.

Objicies tertio. Ex eodem loco S. Th: sequeretur e. g. lapidem ed ipsò alterari , quod per violentiam localiter moveatur ; atqui hoc est contra sensum ; ergo , &c. Resp: S. Th: ibidem tantum negare alterationem strictissimè dictam ; quæ videlicet sit alterius qualitatis corruptiva . impulsus verò nullam projecti lapidis qualitatem connaturalem corrumpit ; ergo ; &c. cur sic explicem , patet ex rationibus suprà allatis .

Objicies quartò. Si projecta moverentur per virtutem impressam ; sequeretur : quod moverentur celerius ad initium , quam in medio . tunc enim illa virtus esset major : sicut calor aquæ , quamprimum separatur ab igne . Atqui hoc est contra experientiam , & Aristotelem . 2. de Cœlo t. 35. ergo , &c. Resp: Dist. Maj. si solùm moverentur per virtutem impressam T. Sequela. si etiam ab aëre adgente N. Sequel: PP. Conimbricen: cum S. Thoma docent : in medio esse motum projec-

cti celeriorem; quia plures aëris partes sunt concitatæ, quām sub initium; & illæ etiam suo appulso, projectum corpus promovent.

Objicies quintò. Ergo omne projectum debérer quām remotissimè ferri: nam illa qualitas semper inhäret; & aëris semper urget. Resp: N. Illat: tum quia impulsus, & aëris commotio, proportionatur conatu, & virtutibus projicientis. si projiciens debilem habeat imperium; nec multas aëris partes concitat, nec validam qualitatem impiimit; tum etiam quia nativa corporis gravitas resistit; & resistendo, ac reagendo diutius, tandem facit, & aëris concitationem, & qualitatem deficere, ac cessare. Sic etiam animalia motu progressivo, initio & fine se movent lentiū: in medio velocius, & validius; quia nimur spiritus vitales, antequam excitentur, torpēt: in progressu excitati calent, & vegetantur: in fine gravitate corporis identidem resistente fatigantur, ac deficiunt.

Objicies sextò. Juxta Aristot: ac D. Th: sola potentia vitalis potest ab intrinseco determinare motum ad opposita. Atqui illa qualitas physica, seu impulsus, determinaret ab intrinseco corpus projectum ad opposita; nempe sursum, deorsum: ad dextram, sinistram; ergo esset potentia vitalis, quod nemo dixerit. Resp: Dist. Maj. potest determinare,

minare, tanquam principium ut quod Conc: Maj. tanquam principium ut quo N. Maj: Distin: similiter Min. & N. C. impulsus est tantum causa instrumentalis motus projectorum; principalis causa est projiciens, corpori projecto extrinseca.

Objicies septimò. Nulla est assignabilis causa conservativa, aut destructiva ejusmodi qualitatis; ergo frustrè configitur. Resp: N.A. & dico: causa productiva est illud agens, quod corpus primò movet: conservativa est juxta D. Thomam (2. de Gener: Lect: 4.) Cœlum: aut alia causa universalis; aut eriam ipse Autor naturæ; qui in defectu agentis particularis conservat effectus, secundum exigentiam vel roboris, à movente primo impensi; vel rei projectæ capacitatem. Causa destruktiva est tum gravitas, mobili congenita, quæ impulsu resistit; tum extrinsecum aliquod obstaculum e. g. murus oppositus: tum ipsum [per quod projectum transit] medium; quia istud divisionem sui, ut malum, refugit; adéoque dividenti resistit, vires ejus qualitatis debilitat, ac tandem corrumpit.

# A. M. D. G.

EX  
LIBRIS  
DE  
ORTU  
ET  
INTERITU.



# THESES I.

Quantitas non necessariò recipitur in toto composito, ut subjecto inhæsionis.

*Patet id ex Aristotele. 7. Met. t. 8. ubi dicit: quantitatem primò inesse materiæ. & 3. Phys: ubi ait: quantitatem esse proprietatem materiæ. Item ex D. Thoma in 4. D. 12. q. 1. a. 2. quæstiunculâ. 4. Ita ex Societate nostra P. Suarez. D. 14. Metaph: S. 3. PP. Conimbr: l. 1. de Gener. c. 4. q. 4. a. 1. P. Hurtadus. D. 6. S. 6. P. Arriaga. D. 15. Phys. S. 2. P. Compt. D. 15. Phys. S. 2. & alij complures.*

§. I.

*Declaratur & Probatur Thesis,*

**P**robatur primò. Aristoteles 1. 1. de Gener. t. 14. docet: accidentia co-  
nunia genito & corrupto, manere in ge-  
neratione; ergo accidentia communia non re-  
cipiun-

*in toto composito.*

105

cipiuntur in toto composito, ut subjecto inhæsionis. quia aliás pereunte composito, quod corruptitur ( tanquam subjecto inhæsionis ) perirent etiam accidentia illi inhærentia; nec manerent in genito: nam accidens nequit naturaliter existere extra subjectum inhæsionis, & idem numero accidens non migrat de subjecto in subjectum. Atqui quantitas est accidentis commune; ergo, &c.

Probatur secundò. Quantitas est actus quidam informans subjectum, cui inhæret; ergo implicat quantitatem in eo recipi, ut subjecto inhæsionis, cui non potest uniri. Atqui quantitas toti composito non potest uniri; ergo, &c. Sumbsumptum probatur: totum compositum non distinguitur ab omnibꝫ partibus simul sumptis; atqui quantitas sāpe non potest uniri omnibus partibus simul sumptis; non enim potest uniri utrique parti hominis: cum non possit uniri animæ rationali; neque ulli formæ brutorum perfectorum. etenim in Sententia D. Thomæ: formæ brutorum perfectorum sunt indivisibilis; implicat autem illi physicè uniri aliquem actum physicum, cuī hic non potest communicare effectum formalem primarium. Atqui nec animæ rationali, nec formæ illi brutorum potest quantitas effectum suum formalem primarium communi- care, effectus enim formalis primarius quan- titatis

tatis est : ponere partem extra partem, seu formaliter facere divisibilem ; ergo, &c.

Confirmatur hæc ratio. Illud non inhæret toti composito , ut subiecto, quod non est intrinsecum, ac unitum omnibus partibus simul sumptis, & se sibi invicem communicantibus. Atqui quantitas non est intrinseca, & unita omnibus partibus simul sumptis, & se sibi invicem communicantibus ; quia non est intrinseca, & unita formæ , e. g. animæ rationali : aut formis brutorum perfectorum, utpote in divisibilibus ; nec quidem prout se communicant subiecto , quod significatur per ly simul sumptis : per actuationem enim subiecti non mutatur essentia animæ secundum se ; ergo, &c. Unde

Confirmatur secundò. Prædicatum , quod evertit essentiam e. g. animæ rationalis secundum se, nec cōvenit illi in toto. nam in collectione cum cæteris non habet aliam essentiam , quam habeat secundum se. Atqui prædicatum *divisibilis*, quod provenit formaliter à quantitate, veluti effectus primarius quantitatis, evertit essentiam animæ rationalis secundum se ; cum essentialiter sit sp̄itus, ac in divisiblem ; ergo, &c. Unde

Confit: tertidò. Quidquid convenit alicui rei secundum se, ac essentialiter: hoc etiam convenit illi, dum est in toto. & quidquid repugnat illi

illi essentialiter, repugnat illi etiam, dum est in toto, sicut quidquid convenit essentialiter animali, &c. aut essentialiter illi repugnat : etiam convenit, aut repugnat animali in homine, &c. Atqui animæ rationali essentialiter convenit esse *indivisibilem* : & essentialiter repugnat illi esse *extensam*, esse *divisibilem* in partes quantitativas ; ergo, &c.

Probatur tertidò. Si quantitas reciperetur in toto composite ex ratione accidentis ( ut volunt Adversarij ) ed quodd accidens sit entis substantialiter completi ens ; tunc omne accidens reciperetur in toto composite: cum omne accidens sit essentialiter entis ens. Atqui sequela est falsa : quia alias gratia sanctificans anima, habitus supernaturalis Charitatis, omnianque dona supernaturalia : species item impresæ, memorativæ, &c. virtutes morales, &c. omnianque spiritualia accidentia, reciperentur in toto homine ; adeoque dum homo moritur, & anima separatur à corpore, illa periret : quia accidentis non migrat de subiecto in subiectum ; & pereunte subiecto inhesionis, perit subiectum, &c. atqui hoc esse falsum docet S. Thomas 1. 2. q. 63. a. 6. sic enim ad illud 1. ad Corint: 13. Charitas nunquam excidit ; in C addit: quando imperfectio alicujus rei non est de ratione speciei ipsius ; nihil prohibet idem numero, quod prius erat imperfectum, postea perfectum esse. sicut

108      Quantitas non recipitur  
homo per augmentum perficitur, & albedo per  
intensionem. Charitas autem est amor, de cu-  
jus ratione non est aliqua imperfectione; unde Cha-  
ritas non evacuat per glorie perfectionem, sed  
eadem numero manet. Sic S. Doctor ad ver-  
bum. Ergo juxta S. Doctorem falsum est:  
omne accidens, quæ tale, recipi in composito,  
&c. Deinde: si non maneret eadem numero  
quantitas, aliave accidentia, e. g. duries, sic-  
citas, &c. tunc non essent eadem numero ossa,  
&c. in Reliquijs Sanctorum, cultui expositis,  
quæ fuerant in Sancto, &c.

P Suarez, aliquæ AA. passim utuntur hoc  
argumento: quantitas est dispositio materiae  
ad formam substantialiem. non enim con-  
naturaliter ulla forma substantialis [præsertim  
viventis] introducitur, nisi in subjectum quanti-  
tum, & quoad se extensem. Ergo quanti-  
tas est prior formâ substantiali in genere cau-  
sæ materialis: cum quantitas sit dispositio, te-  
nens se ex parte subjecti recipientis formam  
substantialiem. Ergo si quantitas reciperetur  
in toto composito, ut subjecto inhæsionis; e-  
tiam reciperetur in forma substantiali; ergo  
etiam forma substantialis esset prior quantita-  
te, in genere causæ materialis. ergo in eodem  
genere sequeretur mutua prioritas, quæ repu-  
gnat.

Sed

in toto composito."

109

Sed Adversarij conversis in hunc Achillem  
ingenij, conantur eum vulnerare in planta,  
negando Suppositum: quod illa quantitas ea-  
dem, quæ fuit dispositio ad formam novam,  
recipiatur in toto genito. Probant enim quâ-  
titatem, ut est dispositio, priùs tempore subje-  
ctari in composito veteri; quia per quanti-  
tatem istam, juxta ipsos, signatur, sigillatur,  
determinatur materia ad formam novam. Un-  
de ajunt quantitatem novam, & à dispositiva  
distinctam, educi ex composito novo, ac in eo  
inhæsive subjectari, sine mutua prioritate in  
eodem genere.

Dico secundò. Sola materia est immedia-  
tum subjectum quantitatis. Ita AA. omnes  
suprà citati. Probatur. In aliquo subjecto  
inhæsionis recipitur immediatè quantitas,  
cum sit accidens; omne autem accidens con-  
naturaliter immediatè inest, ac inhæret alicui  
subjecto. Sed quantitatis subjectum non est  
sola forma, non totum compositum; ut pro-  
batum est. ergo materia. nihil enim tertium  
est in composito substantiali, quod posset esse  
quantitatis subjectum inhæsionis. Ergo, &c.

Dico tertiod. Ut materia possit recipere  
quantitatem, forma substantialis requiritur ut  
conditio, sine qua non. Colligitur id ex P.  
Petrilio l. 5. Phys. c. 13, ubi probat, materiam  
non posse existere sine forma substantiali, eò

E 7

quod

quod materia habeat naturalem, & essentiam ordinem ad formam sicut perfectibile ad suum perfectivum, sine quo esset indeterminata, & indefinita.

Colligitur etiam ex P. Suarez D. 13. Metaph. S. 4. n. 13. ubi ait: quod materia habeat suam existentiam dependenter à forma. Et S. 5. n. 16. concedit hoc sensu existentiam materiæ esse à forma: non quod forma intrinsecè det esse materiæ; sed quod esse materiæ dependent à forma ut termino.

Unde tale formo argumentum. Existentia materiæ dependet à forma, ut à conditione, sine qua materia non habet existentiam. At qui implicat, ut quantitas formaliter recipiat in materia, nisi existente: quia quantitas est accidentis, ad eoque entis ens. Ergo quantitas debet supervenire enti, seu materiæ existenti; ergo forma etiam est conditio, sine qua non est materia subjectum quantitatis, ipsi inharentis; id est: sine qua non recipit actu quantitatem.

Confirmatur primò. Implicat existentiam physicam conjungi alicui indeterminato, ac vago, quod non est in ulla certa specie physica; quia implicat individuum vagum. ergo implicat existentiam conjungi materiæ, nisi adsit forma substantialis; vi cuius ad certam speciem physicam determinatur. Ergo etiam im-

am implicat quantitatem physicè recipi in materia, nisi adsit forma substantialis; sed non ut subjectum partiale quantitatis; ergo saltèm ut conditio ex parte subjecti requisita.

Confirmatur secundò. Implicat genus immediatè individuari, nisi per differentiam specificam ad certam speciem metaphysicam determinetur: ut docent omnes DD. Societatis. Ergo etiam implicat materiam in statu physico esse individuam, nisi per formam substantialiem, veluti per differentiam physicam, determinetur ad certam speciem physicam. Sed quidquid existit in statu physico, necessariò existit in individuo; ergo forma substantialis est conditio, sine qua materia non existit in statu physico. Ergo etiam est conditio, sine qua materia in statu physico non reciperet quantitatem.

Confirmatur tertio. Accidens essentialiter est entis adæquati, & substantialiter completi ens. Ergo quantitas, cum sit accidentis, essentialiter supervenit materiæ substantialiter completae. Ergo essentialiter supponit adesse formam substantialiem, vi cuius materia substantialiter completetur. Ergo licet quantitas non subjectetur in forma substantiali; forma tamen substantialis est conditio, sine qua materia non esset subjectum inhalensionis respectu quantitatis.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Forma materialis est quāta, & extensa. Atqui ut sit quanta, debet esse subjectum quantitatis ; ergo, &c. Resp: Dist: Maj: est quanta in se, & ratione sui, & formaliter N. Maj: est quanta ratione subjecti sui, nempe materiæ quantæ, & denominatiōnē C. Maj: Dist: similiter Min: & N. C. re-  
ctè enim dixit P. Pererius I. 5. Phys: c. 18. quod nulla forma substantialis ratione sui, & secundum se, sit quanta : sed dicatur *quanta*, ratione sui subjecti quanti, ex cuius potentia educitur ; sítque talis, ut vel esse, vel operari non possit sine materia quanta.

Objicies secundò. In illo recipitur quantitas, utope accidens, quod simpliciter, ac substantialiter est. Atqui nec sola materia, nec sola forma ; sed totum compositum simpliciter, ac substantialiter est ; ergo in toto composito recipitur quantitas. Resp: Dist: Maj: In illo recipitur, ut subjecto denominationis C-Maj, ut subjecto inhæsionis N. Maj: Dist: similiter Cons: & N. C. Quantitas inhæret soli materiæ ; sed quia materia non est, nec esse potest realiter sine forma substantiali, adeoque extra compositum ; ideo quantitas recipitur quidem in composito, sed inadæ-

inadæquate sumpto : ita ut non omnes partes ejus sint subjectum inhæsionis ; sed forma sit tantum quantitatis subjectum denominatio-  
nis, si illa hujus denominationis capax sit. nul-  
la enim forma communicat effectum forma-  
lem denominationis subjecto incapaci. sic a-  
nima non denominat pedem, nasum, &c. in-  
telligentem ; licet anima & pedi, & naso unia-  
tur.

Objicies tertio. Accidens est essentialiter *actus secundus*, esse secundum, &c. Ergo præ-  
supponit *actum primum*, esse primum, &c. nem-  
pe substantialiam adæquatam. Ergo quantitas,  
ut pote accidens, essentialiter supervenit sub-  
stantiæ adæquatæ ; ergo supervenit toti com-  
posito ; ergo totum compositum est quantita-  
tis subjectum inhæsionis. P. Comptonus,  
P. Andreas Semery, & alij R.R. Distinguunt  
Antecedens: Accidens est *actus secundus*, esse  
*secundum*, &c. in ordine intentionis, & di-  
gnitatis C. A. in ordine executionis, & physi-  
cæ existentiæ N. A. Distinguunt similiter  
Cons: & negant reliquas Illationes. Resp:  
adhuc aliter N. ultimam Illationem. Quanti-  
tas supervenit materiæ habenti formam ; sed,  
forma substantialis est tantum conditio requi-  
sita, ut materia recipere possit quantitatem ;  
non est autem partiale subjectum inhæsionis,  
respectu quantitatis.

Objicies quartò. Accidentia faciunt tantum esse tale; sed esse tale præsupponit esse simpliciter. Ergo accidentia omnia præsupponunt esse simpliciter. Sed sola materia non est ens simpliciter; ergo nullum accidens, & consequenter nec quantitas, potest subjectari in sola materia. Resp: Dist: ultimum Cons: si ly sola excludat formam etiam à ratione conditionis requisitæ C. si ly sola excludat formam tantum à ratione subjecti inhæsionis N. C. non potest materia recipere quantitatem independenter à forma, ut conditione requisita: potest tamen independenter à forma, ut partiali subjecto inhæsionis.

Objic: quintò. Quantitas est dispositio ad formam substantialem; ergo est naturā prior, quām sit forma substantialis; ergo forma substantialis non potest esse conditio, prius naturā ad hoc requisita, ut materia possit recipere quantitatē. Idem est de quocunq; alio accidente dispositivo. R. D. A. Dum sit generatio, quantitas est dispositio ad formā novam C. A. ad formam veterem N. A. Dist. similiter C. ergo quantitas dispositiva est naturā prior, quām sit forma substantialis nova C. quām sit forma substantialis vetus N. Cons. Dist. etiam Illatum: ergo forma substantialis nova non potest esse conditio requisita prius, ut materia primò possit recipere quantitatem C. forma substan-

substantialis vetus N. Illat: Dum quantitas, tempore antecedenti instans generationis substantialis, disponit successivē materiam: forma vetus est conditio, ex parte materiæ prærequisita, ut quantitas dicatur entis adæquati ens. Idem est de alijs accidentibus dispositivis.

Instabis. Etiam eo instanti, quo est formam lissimè generatio substantialis, materia est prius naturā per quantitatem disposita; ergo quantitas est prius naturā ante formam novam. ergo saltē si tunc forma nova esset conditio, ad recipiendam quantitatem ex parte materiæ requisita; forma nova esset etiam prior naturā ante quantitatem. Ergo adhuc sequeretur mutua prioritas. Responderet rursus P. Comptonus, P. Andreas Semery cum RR. Dist. Cons. prius naturā ante formam in executione est quantitas C. in ordine intentionis N. C. Dist. etiam primum Illatum: etiam forma nova in ordine intentionis esset prior naturā ante quantitatem C. Illat: in ordine executionis N. Illat. Dist. denique ultimum Illatum: ergo sequeretur adhuc mutua prioritas in diverso ordine C. in eodem ordine N. Illat: Quod est primum in intentione, est ultimum in executione. sic etiam finis est prior medijs in intentione, media verò sunt priora fine in ordine executionis. Vnde actum primum

primum perfectivum substantiae dicunt esse id, quod principaliter in generatione intenditur; ipsamque quantitatem esse accidentis, licet in sola materia ante formam substantialem recipiatur. Sed nolim haec viā (licet videatur plena) argumentum solvere; tum quia haec doctrina videtur esse contraria Aristotelis, Phys. t. 66. & D. Thomae I p. q. 76. a. 6. tum quia sequeretur: substantiam adæquatam tantum esse actum primum physicum finalem; qui conceptus substantiae discrepat à definitione Aristotelis, & D. Thomae, ubique substantiam definitum: quod sit ens *simpli-*  
*citer*, ens *physicè primum*, ens *per se stans*; accidentis vero: quod sit *entis adæquati ens*, *actus secundus physicus*, ens *enti simpliciter adjacens*; quodque non superveniat, nisi materiae substantialiter completae, & in rerum natura actu existenti, &c. Definitiones autem primum Autorum, tanquam prima cujuslibet Scientiarum fundamenta, non sunt deserenda; ne Scientiarum confundantur in Chaos, sicut si quilibet nova rebus significandis vocabula excogitaret: neque institutas ab AA. voces observaret; periret omnis idiomatis certi communicatio. Tum quia per se clarum videtur: quod materia primò debeat esse *ens simpliciter*, & in ratione entis adæquati perfecta: quam per accidentis fiat *ens tale*. tum quia id ipsum queritur:

tur: quid in forma substantiali sit, ratione cuius dicitur primò, ac principaliter intendi? & quid sit in forma accidentalis, ratione cuius dicitur secundariò intendi? ergo adhuc restabit conceptus substantiae, & accidentis, explicandus. tum denique: quia conceptus RR. tantum definit substantiam per aliquid ipsi extrinsecum: intentio enim, & ordinatio naturae, est extrinseca ipsi entitati substantiae.

Unde aliter Resp: ad Replicam nuperimē propositam Dist: Antec. materia est prius natura per quantitatem disposita, in ordine ad certas denominations, à forma substantiali participandas C. A. in ordine ad recipiendam simpliciter formam substantialem, præcisè ut sui perfectionem, & complementum in ratione substantiae N. A. quia licet forma substantialis uniretur materiae, quantitate, aut dispositionibus non præparatae (quod Divinitus posse fieri docet P. Suarez, cum plerisque DD. Societatis) adhuc materia prima per formam substantialem constitueretur in ratione substantiae; ergo præcisè ex ratione substantiae adæquatae non prærequiritur quantitas. adeoque similiter Dist. C. ergo prius natura ante formam novam, ut tribuentem certas alias denominations præter esse primum, præter esse substantie adæquate, &c. prærequiritur quantitas C. ergo prius natura ante formam novam, ut præ-

Ut præcisè tribuentem materiæ esse substantiaæ adæquatæ, prærequiritur quantitas N. C. Dist. etiam primum Illatum: forma nova, præcisè secundùm rationem formæ substantialis, est prior naturæ ante quantitatem C. secundum alias rationes, ac denominations, quas materiæ communicat N. Illat: Dist. denique ultimum Illatum: ergo adhuc sequentur mutua prioritas secundum diversam rationem C. Illat: secundùm eandem rationem N. Illat: Sic materia prima est prior naturæ, quam sit forma, secundùm rationē subjectata: & forma est prior materiæ, secundùm rationē *actuata, ac informata.* finis est prior causâ efficiente, secundùm rationē motivi: causa efficientis est prior fine, secundùm rationem physicè producti, &c. ergo non repugnat mutua prioritas, secundùm diversas rationes. Quid si autem forma substantialis entitatib[us] recepta, non illico tribuat materiæ omnes denominations, patet ex illo Axiomate: *quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Sic anima equi, materiæ non organizataæ unita, non denominaret illam *viventem in actu secundo;* sic anima rationalis, unita pedi, non denominat pedem *intelligentem, &c.*

Tota hujuscemodi Objectionū difficultas oritur ex eo: quid naturæ prioritas, & posterioritas, concipiatur per modum successionis tempore-

temporariæ; aut quid idem instans RR. per signa diversorum conceptuum dividant. sed enim juxta Aristotelem in Postpr. c. 2. D. Th. ibid. P. Suarez D. 26. Metaph. S. 2. quod alteri quomodo libet *causa est,* convenienter naturæ prius dicitur; neq; prioritas naturæ desumenda est à nostris conceptibus. sicut enim prioritas temporis, &c. non rectè per successiōnem conceptuum: ita nec prioritas naturæ per illos constituitur; siquidem & hæc causalitatem realem significat. reductivè ad causam pertinent dispositiones, ac conditiones, ex parte causæ realiter requisitæ. Quid si RR. per signa conceptuum, explicare velint ordinem dependentiæ, & causalitatum realium in nostra Sententia; sic ordinare signa licet eorum, quæ instanti generationis substantialis perfectæ occurunt. Primo signo concipienda est materia, per entitatem formæ substantialis præcisè completa in ratione entis simpliciter, & *substantia adæquata;* præscinditur autem à perfectionibus cæteris, quas forma materiæ communicare potest. Secundo signo intelligitur quantitas, constituens materiam extensam, &c. Tertio signo dispositiones cæteræ, per quas materia recipit denominacionem organizataæ, &c. Quarto signo intelligitur forma substantialis, ut tribuens materiæ denominations graduum, perfectionumque ab hujus-

hujusmodi dispositionibus dependentium e. g.  
ut communicans illi gradum *viventis, sensitivi, &c.*



## *THESIS II.*

*Accidentia reliqua, pro Generatione substantiali dispositiva, recipiuntur in materia: sed intermediâ quantitate.*

*Irà Aristot: 7. Metaph: t. 8. D. Th. I.  
p. q. 77. a. 7. 1. 2. q. 56. a. 1. ad 3. & alibi,*

*F. Francisci Suarez D. 14. Metaph: s. 4. n.*

*7. PP. Conimb: 1. de Gener. c. 4.*

*q. 4. a. 2.*

*§. I.*

*Probatur Thesis.*

**P**rimò. Quæcunq; insunt alicui composito, & non habent se tantum disparatè ad invicem [ sicut e. g. *Medica Ars & Musica*] illa inter se ita ordinantur; ut unum se habeat respectu alterius, velut potentia ad actum; aut tanquam actus ad potentiam. Omnis enim compositio, juxta Aristotelem & D. Thomam,

fit ex

fit ex actu & potentia. Atqui quantitas, & reliquæ dispositiones, insunt eidem composito ( sensu nuper explicato ) & non habent se tantum disparatè ad invicem; cum omnia accidentia materialia sint capacia dimensionis, extensionis, divisibilitatis, &c. adeoque pendant à quantitate; ergo vel quantitas, vel accidentia cetera habent se per modum actus ad invicem. Sed quantitas nequit se habere per modum actus respectu ceterorum accidentium; est enim passiva magis, ac potentialis [utpote prima proprietas vicinissima materia] quam quodcumque aliud accidens dispositivum. Ergo quantitas habet se respectu ceterorum accidentium ut subjectum, seu potentia ad actum; ergo, &c.

Probatur secundò. Omne accidens materiale inest materia ut quantæ; quia materia sine quantitate non habet actu partem extra partem, nec est formaliter divisibilis. ergo, &c. ergo omne accidens materiale [ præter quantitatem ] recipitur connaturaliter in materia, mediante quantitate; ergo, &c.

Probatur tertio. Non repugnat, ut mediante quantitate materia recipiat cetera accidentia. Atqui ita defacto fieri, tempore Patris Suarez docebant omnes Philosophi; & teste Conimbricensium Collegio: major, ac melior pars Philosophorum; ergo dicendum:

F

quod

quod defacto, mediante quantitate recipiuntur, nam in questionibus facti standum est auctoritati.

Confirmatur primò. Eucharistica accidentia sunt extensa, divisibilia, &c. ergo ratione quantitatis, ut subjecti, formæ enim non sunt divisibiles formaliter ratione sui; sed ratione subjecti, ex quo educuntur.

Confirmatur secundò. Nullum agens naturale potest creare. Atqui agens naturale potest in Eucharisticis accidentibus producere calorem, aut frigus; humiditatem, aut siccitatem, &c. ergo per generationem. Atqui generatio supponit subjectum, in, & ex quo educatur id, quod generatur: nec aliud subjectum præter quantitatem adest: quia materia prima per Consecrationem est destruta; Corpus Christi pati ac mutari non potest; ergo, &c.

Confirmatur tertio. Inter formas substantiales datur aliqua, nempe anima rationalis; quæ & recipiatur in materia: & recipiat spiritualia, quæ indivisibilia sunt. Ergo etiam inter formas accidentales datur aliqua, nempe quantitas; quæ & recipiatur in materia: & recipiat accidentia cætera, quæ divisibilia

funt.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Si immediatum, ac proximum subjectum cæterorum accidentium esset quantitas; tunc accidentia Eucharistica, post Consecrationem essent in suo naturali subjecto; & retinerent suum esse absque miraculo: quia manet quantitas. Atqui hoc est contra Fidem; Concilium enim Constantiense Ss. 8. definitivit: accidentia Eucharistica existere per miraculum Omnipotentia Divina sine subjecto; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: essent in subjecto immediato, ac proximo, quod tantum est subjectum ut quo C. Maj: essent in subjecto mediato, in substantia, quæ est subjectum ut quo N. Maj: explicò Concilium cum simili Distinctione Min: & N. C. cùm accidentia sint entis per se, & substantialis entia; ideo subjectum fundamentale, seu ultimata basis, in qua connaturaliter fundantur, deber esse substantia. Atqui in Eucharistia tota substantia panis ac vini destruitur; ergo accidentia non sunt in suo subjecto connaturali. Accedit: quod subjectum connaturalis accidentium, non sit solitaria quantitas, simpliciter & secundum se sumpta; sed quantitas radicata in substantia, quia hoc est de ratione accidentis, ut connaturaliter aeternis

substantiæ, & essentialiter exigat inesse: cùm sit ens per se stantis ens; ergo in SS. Eucharistia, accidentia non sunt in subjecto conaturali.

Objicies secundò. Quantitas potest immediatè recipi in materia, sive alio formaliter completere; ergo & aliæ dispositiones. Resp: N. C. quia reliqua accidentia materialia, supponunt materiam extensam, & divisibilem: cùm & ipsa fieri debeant extensa, ac divisibilia ratione sui subjecti. Quantitas autem non supponit, sed formaliter facit subjectum extensem.

Objicies tertio. Aristoteles 4. Metaph: t. 4. dicit: *accidens non accidere accidenti*. Ergo accidentia reliqua non possunt immediate subjectari in quantitate. Resp: explico Aristotelem cum Distin: Ant, per se, & tanquam radici, ac fundamento ultimato C.A. ut radici, & fundamento immediato, ac proximo N. A. & C. vide solutionem Objectionis primæ.

Objicies quartò. Quod est proprium, ac essentialie substantiarum; id non potest convenire ulli accidenti. Atqui substare ceteris, est proprium, ac essentialie substantiarum: à substando enim *substantia* dicitur; ut notavit P. Suarez; ergo, &c. Resp: Dist Min: substare ceteris ut quod, tanquam ultimata radix, quæ non presup-

recipientur intermedia quantitate. 125  
præsupponat aliud fundamentum per se stans C. Min. substare ut quo, ut radix tantum immediata, & proxima; & quæ supponat aliud fundamentum per se stans, in quo ipsa fundetur N. Min. & sub eadem Distinctione N. C. quantitas non substinet eodem modo, qui est proprius, ac essentialis substantiarum; ut patet ex hucusque dictis.

Objicies quintò. Dispositiones debent immediatè recipi in eo subjecto, quod per illas ad formam substancialiem recipiendam adaptatur, & præparatur; sed materia, non vero quantitas, adaptatur ad recipiendam formam substancialiem: nam forma substancialis non in quantitate, sed immediatè in materia recipitur; ergo, &c. Maj. prob: si dispositiones immediatè reciperentur in uno subjecto: & forma substancialis in alio; tunc dispositiones non adaptarent ipsum subjectum formam; ergo, &c. Resp: N. Maj: propter ly immediatè; latissimum est, quod in illo recipientur mediata, ultimata; tanquam in fundamento principali, & ut quod. ad prob: Dist. A. si dispositiones reciperentur in uno subjecto ut quod fundamentali; quodque est subjectum ratione sui C. Seq. Ant. si dispositiones reciperentur in uno subjecto ut quo tantum formalis, ac proximo; quodque est subjectum ratione materialis, cui quantitas inhæret N. Seq. Ipsa materia

præparatur tanquam primum, ac principale subjectum *ut quod*; licet quantitas mediet *ut quo*, veluti complementum, siue quo materia omnes effectus formales, seu denominations à forma substantiali participare non potest.

Urgebis. Præparatio subjecti sic per hoc, quod dispositiones illud informent. Atqui dispositiones informant tantum illud subjectum, cui immediate uniuntur. Ergo nisi immediatè uniuntur materiae: materia per ilias non præparabitur ad effectus formæ substantialis recipiendos. Resp: Distin. Maj, quod illud informent sicutem mediætè, tanquam subjectum principale, & *ut quod* Con: quod illud informent necessariè immediatè, & *ut quo* N. Maj: Dist. etiam Min. Dispositiones tantum informant immediatè, & tanquam subjectum proximum *ut quo*, illud, cui immediatè uniuntur Con. tantum informant simpliciter illud subjectum, cui immediatè uniuntur N. Min. & Con. Jam saepius dixi: quantitatem recipi immediatè in materia. Ergo cum dispositiones cæteræ inhærent quantitatì, etiam mediatè recipiuntur in materia; & quidem ita, ut materia sit illarum subjectum principale, fundamentum præcipuum, ac *ut quod*: quantitas vero tantum sit complementum subjecti substantialis, fundamentum pro-

ximum,

ximum, ac *ut quo*. Sicut ergo in causis efficientibus actio principaliter attribuitur agenti principali: non autem instrumento; quia nimicum instrumentum est tantum id, quô agit principalis causa, agitque tantum virtute acceptâ à principali: ita etiam rectè dicetur: quod passio, seu formarum receptio, principaliter competat materiae; quia quantitas tantum recipit illas instrumentaliter, & *ut quo*, ac virtute à subjecto substantiali participatâ.



...ΕΞΕΙ...ΕΞΕΙ...ΕΞΕΙ...ΕΞΕΙ...ΕΞΕΙ...ΕΞΕΙ...

## THESES III.

In Generatione substantiali,  
non omnia pereunt accidentia, quæ fuerant in corrupto; adeoque non datur resolutio usque ad materiam primam,

Ita P. Suarez D. 14. Metaph. S. 3. n.  
20. P. Hurtadus. D. 1. de Gener. s. 5. P. Arriaga. D. 5. Phys. S. 2. P. Oviedo. Contr. 1. de Gener. punto. 3. P. Comptonus D. 1. de Gene.  
S. 2. & 3. P. Ildephonse Pennafiel hic  
D. 1. q. 2. S. 2. & alij.

§. I.

Probatur nostra Thesis.

**P**RIMÙ autoritate Aristotelis ac D. Thomæ. Aristoteles 2. de Gener. t. 27. inquit: cū aqua frigiditas fuerit corrupta, & ignis siccitas; fiet aér. nam hujus quidem caliditas, illius verò humiditas relinquetur. ac cùm calor ignis, & aqua humiditas interierint, fiet terra; propterea quid hujus frigiditas, & illius siccitas remaneat. Inferò: ergo non pereunt omnia accidentia; sed aliqua remanent in genito, quæ fuerant in Elemento corrupto; et gojux-

usque ad materiam primam.

129

go juxta Aristotelem in generatione substanciali, non fit resolutio usque ad materiam primam. Et S. Thom: l. 4. contra Gentes. c. 81. n. 1, inquit: *anima rationalis, quæ est forma hominis, manet post mortem, materia etiam manet, quæ taliforme fuit subjecta sub dimensionibus eisdem; ex quibus habebat, ut esset individualis materia.* Arguo: sic loquitur S. Doctor de materia cum suis dimensionibus quantitatibus, sicut de anima rationali, dum eas dicit manere. Atqui ad intentum S. Thomæ (ut probaret eundem numero hominem à morte resurrectum) anima rationalis dicitur manere eademi numero; ergo etiam dicendum fuit, manere eisdem numero dimensiones quantitativas.

Probatur secundò ratione. Juxta Aristotelem, ac S. Thomam, virtus instrumentalis immediata, per quam substantialis forma ab agente creato producitur, sunt accidentia; illa videlicet, quæ propagantur usque ad passum, quibus contingit passum; & quæ in passo recipiuntur. e. g. virtus instrumentalis, per quam ignis A. generat ignem B. est calor, siccitas, &c. ergo illo instanti, quô actu producitur ignis B. debet existere ille calor, &c. qui est virtus instrumentalis immediata ad producendum ignem B. quia causa efficiens, saltē secundū

F

virtu-

virtutem instrumentalem, debet eodem instanti coexistere suo effectui; tum quia implicat, ut aliquid physicè actu communicet esse tunc, quando illud nec in se, nec in virtute sua actu haber; juxta illud: *nemo dat, quod nullò modo habet.* tum quia operari sequitur ad esse; ergo implicat, ut causa actu operetur tunc, cum nec in virtute sua actu haber esse. tum quia alias etiam posset causa actu dare physicum esse effectui, antequam illud actu habeat; siquidem tam parum remanet de esse physico causa post ejus desitionem, quam parum habuerit ante sui inceptionem. Ergo idem ille calor, qui est virtus instrumentalis in passo recepta, existit physicè illo instanti, quo formalissimè producitur entitas ignis B. seu forma substantialis, quæ est effectus ignis A. mediante calore, ut virtute instrumentalis; atqui ille calor est accidens in passo receptum; ergo manet aliquod accidens; & existit idem ipso instanti generationis perfectæ, quod existebat tempore præcedenti, ante illud instans terminatum temporis. sed accidens non migrat de subjecto in subjectum; ergo inexistit illi ipsi subjecto instanti generationis perfectæ, cui inexistebat tempore præcedenti ante illud instans; ergo ratione mutati subjecti, non est aliud numero calor; ergo est idem numero accidentis,

cidens, quod fuerat in corrupto; ergo non datur resolutio usque ad materiam primam.

Confirmatur hæc ratio. Causa efficiens debet necessariò conjungi passo; illudque contingere saltè virtute suâ instrumentalis, alias haberet se respectu illius passi, acsi in rerum natura nullatenus esset. Atqui substantia agens non conjungitur passo, nisi per dispositiones in passo productas (e. g. ignis non contingit passum, seu lignum, nisi per calorem, succitatem, &c. in ligno productam) calor enim e. g. receptus in ipso igne, non migrat de subjecto uno, in aliud; ergo dispositiones in passo productæ, sunt virtus instrumentalis immediata causæ agentis. Atqui virtus instrumentalis activa debet coexistere effectui producto: nimirum formæ substanciali; ergo accidentia dispositiva debent existere instanti generationis substancialis; ergo non datur resolutio usque ad materiam primam. Neque dicas esse alium numero calorem, qui illo instanti sit virtus instrumentalis, productiva ignis, effectui coexistentis. Quero enim: quæ est causa effectrix hujus novi caloris? si substantia generans e. g. ignis A? sic argumentor: nulla substantia creata agit immediatè; ergo produxisset illum mediante calore priori tempore in passum propagato; ergo præcedens calor huic novo, utpote effectui suo, deberet coexistere;

stere; ergo necdum est resolutio usque ad materiam primam.

Scio multos fortè responsuros: satis esse, quod calor passi dispositivus, qui simul est virtus instrumentalis causæ efficientis, extiterit eo tempore, quo erat motus in actu imperfetto: licet actu non existat eo instanti, quo motus est formaliter in actu perfecto, seu in termino. Sed contrà est: ergo entitas ipsa substantia novæ, quæ instanti indivisibili (ut pote indivisibilis) formaliter producitur, saepe nullam habet causam creatam, sibi actu, & formaliter coëxistentem; adeoque causa actu amplius non existens, formalissimè, & actu, entitatem effectus ponit eo instanti, quo ipsa nec in se, nec in virtute sua formaliter, & actu amplius existit; ut sit, dum ex glande generatur forma querens; è nucleo cerasus, &c.

Probatur tertio. Dum e. g. homo violentè occiditur; manet aliquamdiu idem numero calor, color, &c. eadem numero quantitas, figura corporis, cicatrix, &c. in mortuo, quæ fuerant paulò antè in vivo; ergo non fit resolutio usque ad materiam primam. A. prob: si recedente animâ rationali omnia ejusmodi accidentia essent alia numero; deberet adesse aliqua causa, coinnaturaliter eorum productiva. Atqui saepissime nulla adest; non enim producit illa forma eterus: quia hæc non amplius

usque ad materiam primam. 133  
plius existit; non forma cadaveris: quia ipsi non sunt connaturalia; aliæ similia, in omnibus hominum cadaveribus producerentur: & manente illâ formâ cadavericâ, non evanescent, sensimque non perirent; non materia: quia hæc nullius est operativa; non aër circumstans: tum quia ille virtutem ejusmodi effectum productivam non habet; tum quia manet aliquamdiu calor in cadavere, etiam circumambiente illud aëre frigido: manet gravitas, quam aër causare non potest. non Deus; quia Hic, ut Autor naturæ, non producit specialiter aliquem effectum, nisi ad exigentiam rerum naturalium. Atqui tunc nihil est, quod exigat hæc potius accidentia, quam alia; ergo.

Confirmatur. Unumquodlibet accidens quatuor duntaxat modis potest corrupti, ac perire naturaliter. vel per alterationem, seu actionem accidentis contrarij; sic corruptitur calor per productionem frigoris, &c. vel per remotionem cause conservatricis; sic perit lux in aëre, remoto Sole, alióve luminoso corpore. vel per ablationem connotati, à quo accidens relativū essentialiter dependebat; sic perit formalis similitudo unius albedinis, dum tollitur albedo alterius e. g. parietis. vel per corruptionem subjecti, cui inhærebat; sic naturaliter perit calor, aut quocunque accidens, dum tol-

litr ejus subiectum inhæsionis: quia accidentis non potest connaturaliter existere extra subiectum. Atqui nullo ex hisce modis pereunt omnia accidentia, quæ fuerant in composito veteri; præsertim cùm subiectum inhæsionis, non sit totum totaliter compositum (ut nuper dictum est) sed materia prima, quæ in novo genito manet; ergo.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Si in materia manerent accidentia, recedente formâ substanciali; seque-  
retur firmorem esse unionem materiæ ad acci-  
dentialia: quām ad formam substancialiem. At-  
qui hoc dici nequit: quia materia ad formam substancialiem primariò, ac per se ordinatur, ut videlicet constituant unum prædicamen-  
tum substancialiæ; ergo, &c. Resp: Dist. Seq:  
Maj: esse firmorem ad accidentia unionem, extrinsecè, per accidentis, & citra appetitum majorem materiæ Con. Seq: Maj: esse firmore-  
rem intrinsecè, per se, & firmitate illâ pro-  
veniente ex majori appetitu materiæ ad acciden-  
tia N. Seq: Maj: Dist: similiter Min: & N. C.  
sine dubio principaliter ordinatur materia ad  
formas substanciales, iisqne ex natura sua ma-  
gis appetit uniri, quām accidentibus. atta-  
men quia adest aliquid expulsivum formæ  
substancialiæ.

substancialis, & nihil adest expulsivum omnium accidentium; ideo remanent aliqua acciden-  
tialia, nempe instrumentaliter dispositiva: ve-  
niente autem formâ novâ, recedit vetus. Et  
nōne juxta ipsos Adversarios, unio specie-  
rum intelligibilium ad intellectum: intelle-  
ctus ac voluntatis ad animam, est perpetua?  
& tamen unio animæ rationalis ad materiam primam non est perpetua; adeoque illa firmi-  
or est, quām ista; licet anima rationalis per se ordinetur ad constituendum substancialiæ prædi-  
camentum cum materia prima.

Objicies secundò. Dum corruptitur ve-  
gus compositum, perit subiectum quantitatis,  
ceterorumque accidentium materialium. Er-  
go necessarium est, perire omnia accidentia ma-  
terialiæ, quia illa sine subiecto [ saltē na-  
turaliter ] esse non possunt: neque de uno sub-  
iecto, nempe composito veteri, transmigrare  
in novum possunt; cùm accidentia individu-  
entur à subiecto inhæsionis; ergo. Resp: N.  
A. probavi etenim nuper: non totum totaliter  
compositum, sed materiam, esse subiectum  
inhæsionis immediatum quantitatis; media-  
rum ceterorum accidentium materialium.

Replicabis. Aristoteles ac D. Thomas,  
frequentissimè repetunt: quod accidentia sub-  
iectentur in toto, seu composito. Ergo. Resp:  
Explico S. Thomam, cum Dist. A. in com-  
posito

posito inadæquatè, & secundum unam partem sumpto C. A. in composito totaliter, & adæquatè, & secundum omnes sui partes sumpto N. A. & C. Totum compositum est subiectum *denominationis*; materia est illorum subjectum *inhesionis*.

Verum quidem est, quod accidentia recipiuntur in toto composito, dummodo subiectentur in materia, quæ inest actu toti composite: sicut verum est, quod Petrus sit in hac schola, dummodo una illius spatij parte circumscribatur; licet solus Petrus totum scholæ spatium non occupet.

Rationes sic explicandi suò locò dedi: quibus hanc adjicò: in illo recipiuntur dispositiones, quod præparatur ad formam novam recipiendam. Atqui totum compositum totaliter, & secundum omnes sui partes, non præparatur ad formam novam recipiendam; quia veniente formâ novâ, vetus compositum corrumpitur; nè simul in eadem materia recipiantur duæ formæ substantiales; ergo, &c.

Objicies tertio. Dispositiones non inducunt iu[m] materiam, ut cum illis permanentibus, sed ut post illas producatur forma nova, sic etiam motus gravium ad centrum ordinatur, ut cessante motu, corpus grave sit in centro. sic semen ordinatur ad plantam, ut absceden-

cedente formâ seminis nascatur planta. sic quoque forma embryonis ordinatur ad animam sensitivam, & hæc ad animam rationalem est dispositio; & tamen veniente animâ sensitivâ definit vegetativa: veniente animâ rationali corrumpitur anima sensitiva. ergo ex eo, quod per accidentia disponatur subiectum pro forma nova, non sequitur: quod illa debeant coëxistere formæ novæ. Ergo, &c. Resp: Nego A. ad probationem ab instantijs. Resp: motum non producere in genere causæ efficientis existentiam gravium in centro; sed probabilius tantum esse conditionem præviæ requisitam, ut gravitas corpus affigat centro. formâ seminis nou est virtus effectiva plantæ; sed semini est impressa virtus instrumentalis productiva plantæ, per accidentia quædam, in materia seminis, à causa principali relicta; quæ recedente formâ seminis, etiam coëxistunt plantæ. Similiter anima vegetativa, & sensitiva, disponunt quidem subiectum pro anima rationali, perficiendo organa, ad operationes animæ rationalis requisita; non tamen sunt virtus instrumentaliter productiva animæ rationalis: cùm hæc creetur. Unde Dicit: C. ergo ex eo, quod per accidentia simpliciter, & quomodounque disponant subiectum pro forma nova, non sequitur, quod debeant coëxistere formæ novæ C. ex eo, quod sic disponant;

ponant; nempe simul in genere causæ instrumentaliter efficientis formam novam N. C. vis rationis suprà allatae delimitur ex eo, quod virtus instrumentalis physicè productiva, debet eodem instanti coexistere effectui, quo est forma nova: cum res nullò modo existens physicè, nihil possit efficere; ut probavi l. 2. Phys: & Adversarij, saltēm DD. Societatis concedunt. Atqui virtus instrumentalis, sunt dispositiones in subiecto productæ; e. g. calor, siccitas, &c. pro forma ignis, &c. ut probavi in Confirmatione; ergo, &c.

Objicies quartò. Si illæ dispositiones essent virtus instrumentalis, productiva ipsius entitatis formæ novæ; tunc instanti generationis terminativo, inexisterent materiæ prius naturâ ante formam novam; etiam prout hæc quoad gradum substantiæ simpliciter persicit materiam. Ergo essent accidentia: ut supponitur; & non essent: quia noui inexisterent enti simpliciter, & adæquato. Resp: Disp: A. inexisterent materiæ prius naturâ, secundùm rationem cause instrumentalis C. A. inexisterent materiæ prius naturâ, secundùm rationem adjunctam, nempe accidentis N. A. & C. volo dicere: dispositiones quoad existentiam tealem nunquam existunt materiæ: nisi substantialiter completæ. tempore enim fluente completur materia per formam veterem; & tunc

tunc dispositiones introducuntur. instanti generationis terminativo, existunt in materia, atque in ea conservantur sub forma nova; sed non secundum omnem formalitatem, quam realiter habent, presupponuntur naturâ prius, ante formam præcisè quoad entitatem ejus educendam. dispositiones enim sunt prius naturâ ad existentiam formæ novæ simpliciter, eò quod activè determinent materiam, seu ex ratione causæ instrumentalis: non autem ex ratione forma accidentalis, in materia recepta. quia ad hoc, ut entitas forma simpliciter educatur ex materia, prærequisitur causa instrumentalis (substantiæ creatæ enim non operantur immediatè) effectiva: non autem prærequisitur dispositio in genere causæ formalis, seu formæ accidentalis, inhærentis materiae, cāmque intinsecè adaptans, adaptatur enim materia per dispositiones, e. g. per calorem (qui simul est instrumentalis causa, formæ ignis productiva) non ut in materia existat simpliciter entitas formæ ignis; sed ut forma ignis communicare possit materiae omnes perfectiones specificas talis formæ substantialis. Docuit hoc ante me S. Thomas in qq. Disp: q. unicâ de Anima. a. 9. ad 5. dicens: *dispositiones accidentales, que faciunt materiam*

teriam esse in potentia proxima ad aliquam formam, non sunt media totaliter, inter materiam & formam simpliciter: sed sunt media inter formam, secundum quod ipsa dat ulteriorem perfectionem: & inter materiam, secundum quod hac perficitur perfectione ulterioris gradus. materia enim secundum se ipsam, est in potentia proxima, respectu insimi gradus perfectionis; quia secundum se ipsam est in potentia proxima ad esse substantiam corpoream. nec ad hoc requirit aliquam dispositionem: sed supposita in materia perfectione corporis (seu compositi substantialis) requiruntur dispositiones ad ulteriores gradus e. g. viventis, animalis, &c. hæc S. Doctor. quæ disertissimo repetit discursu in I. p. q. 76. a. 6. per totum.

Neque hæc doctrina invehit mutuam prioritatem in eodem genere causæ, & perfectionis. nam e. g. calor est causa activè determinans materiam ad formam novam, secundum entitatem formæ substantialis, ut hæc in rerum natura existat; quia calor est virtus instrumentalis causæ effectricis: & forma nova, secundum gradum formæ substantialis, est conditio ex parte materiae requisita ad hoc, ut calor, præter rationem instrumenti, retineat rationem formæ accidentalis, quam in materia accepérat sub forma veteri, tempore antecedenti instans, generationis terminativum. Disposi-

positio igitur reductivè ad genus causæ efficientis, est prior naturā ad formam novam: & forma nova ( secundum gradum formæ substantialis simpliciter ) reductivè ad genus causæ materialis, est naturā prior ad hoc, ut dispositio sit entis adæquati ens: diciturque forma accidentalis, aptans materiam ad reliquos effectus formales, materiae communicandos; quos forma substantialis, non nisi subjecto adaptato communicate potest: quia quidquid recipitur, per modum ( juxta capacitatem ) recipientis recipitur.

Porrò quodd̄ mutua causalitas, ac dependentia, dari possit in diverso genere causæ, & secundum perfectionē diversā, ostendi nuper ab inducitōe; sic media sunt efficienter priora fine: finis vero finaliter est prior medijs. sic materia est naturā prior respectu formæ, secundum rationem subjectata: & forma est naturā prior respectu materiae, secundum rationem informata.

Objicies quintò. Subjectum accidentium est materia, prout subest formæ. Ergo sicut accidentia simpliciter spectata, dependent in conservari à materia, prout subest formæ simpliciter spectatae: ita hæc numero accidentia pendent à materia, ut subest huic numero formæ. Ergo dum hæc numero forma perit, & hæc numero accidentia pereunt, defecūt condi-

cōditionis essentialiter requisitæ, seu cōnotati.  
Resp: C. A. in sensu antè dicto. N. C. & Il-  
lat: Ratio est : quia hæc etas nihil superad-  
dit formæ , ratione cuius accidentia per se , &  
essentialiter ab illa dependeant ; cùm ratio de-  
pendentia sit communis, ac universalis omni-  
bus, nam tota ratio, cur quæcumque acciden-  
tia , quæ talia, pendeant à forma, ut conditio-  
ne , est : ut substantia sit adæquata ; cùm es-  
sentialiter sint entis adæquati entia. Atqui  
id tam bene præstat hæc , quæm alia forma  
substantialis ; ergo non dependent essentiali-  
ter , ac per se , ab hac determinatè ; sed tantum  
disjunctivè , ac indeterminatè , ab hac, vel illa  
forma substantiali. Instantiam do : animal  
simpliciter pendet à cibo , ut vegetetur , aug-  
mentetur , ac in vita conservetur ; non tamen  
sequitur: ergo hoc determinatum animal, pen-  
det ab hoc determinato , & numericè indivi-  
duato cibo. quia aliæ nullo numericè alio,  
vegetari , augmentari , ac conservari in  
vivis posset ; quod manifestè  
falsum est.



## THEISIS IV.

Una substantia generat alte-  
ram , mediantibus accidentibus, ut vir-  
tute instrumentalis.

Ità Aristoteles. I. de Gen. c. 7. 2. de Ani-  
ma. t. 10. § 7. Metaphys. t. 31. D. Thomas. 1.  
p. q. 45. a. 8. q. 54. a. 3. q. 77. a. 1. q. 115.  
a. 1. § 3. p. q. 71. a. 3. item in qq. Disp: q. de  
Spirit. creat. a. 11. q. de Anima. a. 12. §  
alibi sapient. P. Suarez. D. 18. Met.  
§. 2. § alij.

§. I.

Explicatur &amp; Probatur Conclusio.

**D**ico primò. Accidens se solo , & virtute  
propiâ , non potest producere substancialis,  
ut causa efficiens adæquata. Ità PP. Co-  
nimb: in l. 2. Phys. c. 7. q. 18. a. 2. cum A-  
ristotele ac D. Thoma, P. Comptonus. D.  
25. Phys. S. 2. cum alijs. Probatur : causa  
totalis debet in se continere totam perfectio-  
nem effectus ; vel formaliter, si sit causa uni-  
voca ; vel eminenter virtualiter, si sit causa  
equivo.

æquivoca. Sed accidentis non continet formaliter substantiam: quia accidentis non est formaliter substantia; nec eminenter virtualiter: quia accidentis non est perfectio substantia; ergo.

Confirmatur: nullus effectus potest superare perfectionem suæ causæ adæquatae; quia effectus totum esse, quod habet, accipit à causa, nemo autem dat, quod non habet, vel formaliter, vel virtualiter eminenter. Atqui substantia est longè perfectior, quam accidentis; ergo accidentis se solo non potest esse causa adæquata substantiae.

Dico secundò. Una substantia creata, producit aliam substantiam. Ità PP. Conimbr. P. Comptonus, cit. P. Arriaga. D. 11. Phys. S. 2. P. Hurtadus. D. 9. Phys. S. 3. P. Oviedo Controv. 9. Phys. puncto. 4. & alij DD. Societatis.

Probatur. Operari sequitur ad esse: quia esse est in ordine ad operandum; juxta illud: esse est propter operari. Ergo quod est principium primum, ac præcipuum essendi, est etiam præcipuum principium operandi. Atqui substantia est primum, ac præcipuum principium essendi; ergo substantia est primum, ac præcipuum principium, quasi fons & origo, operandi.

Confirmatur. Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Atqui propter substantiam accidentis est operativum: quia extra substantia-

substantiam, accidentis naturaliter nec esse, adéoque nec operari potest. Ergo sicut substantia est principium essendi, ità est principium operandi.

Dico tertio. Nulla substantialis forma creativa, potest immediatè producere alteram. Ità rursus PP. Conimbr. in l. 2. Phys. c. 7. q. 18. a. 2. Probatur: nulla forma substantialis creata potest naturaliter produci, ac esse; nisi in subiecto, certis accidentibus, ac dispositionibus præparato; ergo nec potest operari, ac alteram formam substantialem efficere; nisi in subiecto, certis dispositionibus præparato.

Confirmatur. Modus operandi sequitur modum essendi: ità ut modus operandi non sit perfectior, quam modus essendi. Atqui modus connaturalis essendi, cujuscunque formæ substantialis, est dependens à subiecto; ergo & modus operandi; ergo, &c.

Dico quartò. Una substantia generat alteram, mediantibus accidentibus, ut virtute instrumentalis.

Probatur: quælibet substantia naturalis creativa, habet ab Autore totius naturæ virtutem accidentium activorum productivam, ut patet inductione omnium substantiarum, tum mixtorum corporum, tum simplicium; scilicet Elementorum, corporum Cœlestium, &c. Atqui frustra essent instructæ ejusmodi accidentibus

146 Substantia generat substantiam  
tibus operativis , nisi illis in operando uteren-  
tur, ut virtute instrumentalis ; ergo.

Confirmatur primò: quia inductione pater,  
quod prius inducantur accidentia dispositiva  
in subjectum : quām educatur forma substancialis , oriatúrque nova substantia. e. g. in li-  
gnum inducitur calor, siccitas, &c. priusquam  
orientur forma ignis, &c. Ergo dicendum est,  
quod accidentia sunt virtus instrumentalis  
substantiae.

Confirmatur secundò. Nisi dicatur, acci-  
denta habere virtutem agendi , velut instru-  
menta, à sua causa principali : saepe admit-  
tenda erit actio in distans; ut cùm Sol in visce-  
ribus terræ producit aurum, &c. atqui actio  
in distans, saltē naturaliter, dari non potest;  
ut docet Aristoteles 7. Physi. t. 10. & nos suō  
loco ostendimus; ergo, &c.

Confirmatur tertio. Nulla causa creata po-  
test physicè , ac efficienter, producere formam  
substantialem ; nisi vel secundū entitatem  
suam : vel secundū virtutem suam instru-  
mentalem , sit approximata passo, illudque  
contingat. Atqui saepe substantia genera-  
tiva non amplius existit, saepe suo loco sejuncta  
est, dum producitur forma substancialis geni-  
ti. Ergo tunc saltē præsens est per virtutem  
suam instrumentalem. Atqui non aliter præ-  
sens est, nisi per sua accidentia , à se propagata;

e. g. Sol

intermedijs accidentibus. 147  
e. g. Sol per lucem , calorem, &c. quercus per  
virtutem seminalem , seu accidentia activa ,  
glandi impressa, ad generandam querum, &c.  
ergo accidentia sunt virtus instrumentalis, me-  
diante quā substantia generat substantiam.

Dico quintò. Probabilius implicat sub-  
stantia creata , quæ per se sit principium effe-  
ctivum cuiuscunque effectus, sine omni po-  
tentia realiter distincta, seu virtute instrumen-  
tali. Probatur : quia omnis perfectio , in  
quacunque linea perfectionis summa ; ità vi-  
delicet, ut in ea linea perfectio major dari non  
possit; est Divina , & incommunicabilis ulli  
creaturæ. Pater inductione. sic quia in li-  
nea substantie , summa perfectio est : esse à se ;  
ideo implicat creatura , quæ sit à se. quia esse  
intellectivum, volitivum, sive mutatione intrin-  
seca principij , est summa perfectio in linea in-  
tellectivi , volitivi, &c. ideo implicat crea-  
tura; quæ sit intellectiva, aut volitiva sive muta-  
tione principij intrinseca. sic quia durare ab  
eterno , est in ratione durantis , summa perfe-  
ctio ; ideo implicat creatura, quæ duret ( sal-  
tem essentialiter ) ab eterno, &c. Subsumo :  
Atqui esse primum ut quod , per se, immedia-  
tè , ac proximè operativum , est in hac linea  
perfectio summa ; adeò ut major perfectio in  
hac linea non sit possibilis; ergo, &c. Sub-  
sum: prob. agentia tum naturalia , tum artifi-

G 2

cialia,

cialia, in ratione principalis agentis, tantò sunt perfectiora : quād paucioribus medijs, ac instrumentis indigent, in ordine ad suos effectus producendos. Ergo illud agens principale, quod nullo penitus instrumento ad eff. Etus suos producendos indiget, erit in hac linea perfectissimum : irà ut in hac linea major perfectio dari non possit ; ergo *agere finē omni instrumento*, est soli D E O proprium : neque est perfectio ulli creaturæ communicabilis.

Confirmatur. In genere agendi, & producendi *ex aliquo*, illud est agens perfectius, quod ex minori, seu pauciori, aliiquid producit. sic etiam aestimantur artifices, qui ex modicis, & paucis sumptibus miro effectus producunt: illud verò agens, quod etiam ex nihilo potest producere aliiquid, est perfectissimum. Deinde : in genere agendi *cum aliquo*, est perfectius illud, quod paucioribus coëffectoribus indiger; perfectissimum, quod nullo. Ergo etiam in genere agendi *per aliquid*, seu per instrumentum, illud agens est perfectius, quod paucioribus indiger instrumentis: illudq; perfectissimum, quod penitus nullo. Subsumo: Atqui modus agendi, & producendi *ex nihilo* (quia perfectissimus est) competit Soli D E O: & modus agendi *finē omni coëffectore* (quia itidem perfectissimus est) competit quoque Soli D E O: qui licet ex Summa Bonitate ad quādam

dam coëfficienda admittat causas secundas) nullo coëfficiente indiget; utpote Se Solo omnium Infinitè Activus: omnis autem causa creata indiget essentialiter Causā Prīmā coëfficiente. Ergo etiam modus operandi, seu agendi principaliter, immediate, & finē instrumento, quia est perfectissimus, competit soli Agenti Perfectissimo, D E O. Ergo non competit ulli substantiæ creatæ. Ergo omnis substantia creata indiget virtute distinctâ, ac potentia instrumentalis; ergo.

Prob: secundò. Omnis potentia immediate operativa, per se, immediate, & ratione sui, ordinatur ad operationem suam, ut constat ex Aristotele, D, Th. &c. & inductione. Atqui nulla substantia per se, immediate, &c. ordinatur ad operationem; ergo nulla potentia immediate operativa est substantia. Min. prob: operatio est accidens; atqui nulla substantia per se, immediate, &c. ordinatur ad accidens; quia substantia est superioris ordinis, quam accidens; nihil autem superioris ordinis per se, &c. ordinatur ad aliud inferioris ordinis; quia, quod ordinatur ad aliud, habet esse ad & propter aliud, tanquam propter finem; finis autem debet esse præstantior illo, quod ordinatur ad eum finem, ut patet ex Aristotele & S. Thoma, ergo, &c.

Probatur tertio. In creatis potentia productiva, debet esse eodem in praedicamento, in quo est ille actus, seu effectus, ad quem potentia immediatè, primò, ac per se ordinatur; & à quo intrinsecè specificatur; ut docet ex Aristotele S. Thomas. I. p. q. 77. a. 1. Atqui effectus accidentalis est in praedicamento Accidentis; ergo & potentia, seu virtus illius, immediatè, primò, ac per se productiva. Ergo implicat, ut substantia per se sit ipsa virtus immediata accidentis productiva: quia implicat, ut substantia per se sit in praedicamento Accidentis; esset enim substantia, & non esset. Item quæcunque operatio creaturæ est accidens respectu substantiæ ejus; quia Solus Deus realiter identificat Sibi operationem Suam immanentem: ita ut operatio Ejus, sit Ipsa Substantia Ejus; ergo etiam omnis virtus operativa creaturæ debet esse in genere Accidentis: quia potentia debet esse in eodem genere, saltē reductivè, in quo est actus, quem potentia illa primò, ac per se respicit.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Juxta Aristot. I. i. Analyt. potissima demonstratio est: quæ probat pri-  
mam passionem per essentiam; sed potissima  
demonstratio est à priori; ergo demonstratio  
passionis per essentiam, est à priori. Atqui demon-

demonstratio à priori est per causam; ergo es-  
senta, seu substantia, est primæ suæ passionis  
causa. Sed passio physica est accidens, ut ne-  
mo negat; ergo substantia est saltē immedia-  
ta causa aliquujus accidentis; nempe primæ pas-  
sionis. R. D. Subs: Atqui demonstratio à pri-  
ori est per causam, vel reductivè, vel formaliter  
C. semper formaliter per causā N. Subs: Jux-  
ta eundem Aristotelem, propriè loquendo,  
sola demonstratio primæ proprietatis meta-  
physicæ, per essentiam deducta, est demon-  
stratio à priori potissima; & tamen essentia  
metaphysica, non est causa efficiens suæ pri-  
mæ proprietatis. sic risibile est prima proprie-  
tas metaphysica, emanans ex rationali; & ta-  
men rationale non est causa efficiens risibilis.  
Essentia igitur, seu substantia, est prima ra-  
dix exigens proprietates, quibus connaturali-  
ter in ratione operativæ formaliter, ac imme-  
diatè compleetur; adeoque est prior primæ pas-  
sione suâ, sibi debitâ. agens verò, quod ipsam  
substantiam producit, etiam illius substantiæ  
proprietates producit: quia hæc connaturali-  
ter sequuntur ad essentiam; & qui dat effici-  
enter esse, dat etiam consequentia ad esse; hoc  
est: proprietates illi esse, seu substantiæ, con-  
naturaliter debitas. sic dum e. g. ignis A. ge-  
nerat ignem B, ignis A. non tantum dat esse  
igni B, sed etiam illi calori, quem ignis B. ut  
G 4 passio-

passionem suam exigit; sic etiam dum Deus creat animam rationalem, non tantum dat esse animae rationali, sed etiam intellectui, voluntati, &c. ceterisque potentias, connaturaliter illi debitum. cuius ratio ulterior est: quia ad agens, quod producit aliquam essentiam, spectat dare ipsi esse completum & perfectum, prout natura ejus exigit.

Urgebis: Sæpe substantia generans non amplius adest, quando adhuc efficienter conservatur, & conservativè producitur prima passio. Ergo saltè tunc ipsa forma substantialis geniti efficit immediate illam passionem. Resp: Nego C. licet enim non amplius adsit causa inferior, & particularis: adsunt tamen adhuc eadem causæ superiores, ac universales, quæ e. g. cum igne ad generandum alterum ignem concurrunt. nempe adsunt astra, & Causa Prima, seu naturæ Autor, DEUS, &c, à quibus etiam Adversarij dicunt conservari e. g. calorem, pereunte igne superstitem. Autor enim naturæ in defectu causæ particularis conservat effectus, quamdiu in natura aliquid est, quod ejusmodi conservationem exigat; perteunte autem e. g. igne A. ex supposito, adhuc existit ignis B. qui calorem illum, ut octo intensum (à quo ignis B. velut instrumento productus est) tanquam proprietatem, sibi connaturaliter debitam, exigit.

Repli-

Replicabis: Substantia generans tantum producit mediately illum calorem; substantia autem genita immediate, & intrâ se; ergo. Resp: Nego Ant. quia cum ille calor ut octo fuerit causa efficiens instrumentalis, ad producendum e. g. ignem B; si ab igne B. produceretur efficienter, tunc ignis B. esset causa efficiens sua causæ efficientis; adeoque in eodem genere causæ efficientis datetur mutua prioritas, quæ implicat; quia calor ille esset, antequam esset.

Instabis: In hoc differt substantia operativa immanenter, ab operativa transeunter: quod immanenter operativa perficiat se ipsam; & operativa transeunter aliiquid extra se. Ergo substantia primas proprietates, seu virtutes intrinsecas, producit intrâ se; iisque se se perficit. Resp: T. A. N. C. substantia per se, tantum remotè, & radicaliter est operativa: non autem formaliter, & proximè: ut patet ex rationibus, pro Conclusione allatis. ipsa potentia, ac virtus, operationis actualis receptiva, intrinsecè perficitur per actum secundum, seu exercitium potentiae suæ. sic intellectus perficitur per actualem cognitionem: voluntas per volitionem, &c. ergo per operationem immanentem, ac transeuntem, potius specificatur, ac differt ipsa virtus, ac potentia immediatè operativa; quam substantia. Ratio da-

G 5

ta so-

ex solutionis ulterior est: quia operari supponit esse perfectum & completum; atqui sine proprietatibus, non est substantia perfecta & completa; ergo non potest operari; ergo non potest suas proprietates efficienter producere.

Objicies secundò. Illa virtus accidentalis est improportionata ad substantiam producendam; ergo, &c. Resp: Nego A. Licet enim accidens secundùm se, ac ratione sui, atque secundùm rationem communem accidentis, esset improportionatum; proportionatur tamen exinde, quodd procedat à tali radice, seu principio substantiali, cuius virtus est.

Urgebis: Vel illud accidens intermediū producit rursus per alind accidens: & sic ibitur in infinitum; vel producitur immediatè ab ipsa substantia; ergo substantia est immediatè operativa. R. accidēs in extraneo subiecto producitur mediatè virtute intranea, & physicè unitā ipsi substantiæ, cui inhæret, ut proprietas physica illi<sup>3</sup>, in exemplo: dum ignis propagat calorem per spatiū intermediū usque ad passum, calor receptus e. g. in ligno, seu passo, est accidens extraneum igni; & producitur per calorem, intermedio spatio propagatum; calor autem in spatio intermedio productus est à calore vicino ipsi igni: calor vicinus igni, ab illo calore, qui est virtus inhærens, & proprietas physica ignis. Ergo non requiritur processus in infi-

in infinitum. Atque ita ignis est principium remotum, & radicaliter activum ut quod; virtus illa est principium formale, ac proximum, seu ut quo.

Replicabis: Illa virtus intranea emanat immediatè ab ipsa substantia; e. g. calor physicè unitus igni, ab ipso igne: nè procedatur in infinitum. Ergo substantia est immediatè operativa. Resp. Dist. A. emanat exigivè, tanquam à radice exigente C. A. emanat efficienter, & tanquam à principio efficiente N. A. & C. Calor, qui est proprietas e. g. ignis B. producitur effectivè, & conservatur ab illa causa principali, quæ producit, aut conseruat ipsum ignem B; adeoque calor ut octo, qui prius fuerat dispositio, ac vittus instrumentalis ad ignem B. producendum, postea ut proprietas ad ejus exigentiam conservatur. Unde potentiar dicuntur emanare ab essentia: non ideo, quodd illas efficiat essentia: sed quodd ad naturalem ipsi<sup>3</sup> exigentiam, dum actio producentis illam essentiam terminatur primariò & directè ad istam: simul secundariò & indirectè terminetur ad illas proprietates physicas, cum quibus essentia habet necessariam connexionem. siquidem Axioma repetitum est: qui dat esse, connaturaliter dat consequentia ad esse.

Objicies tertio. Potentia & actus non sunt necessariò in eodem genere. Ergo ruit probatio tertia. Resp: Dist A. si actus non sit specificativus illius potentiae Con. si sit illius potentiae specificativus N. A. & C. Et licet non pertineat ad idem genus directe; pertinet tamen semper ad illud reductivè, ac indirecte. Substantia autem, quæ talis, non pertinet reductivè, & indirecte ad prædicandum Accidentis: quia substantia, quæ talis, non est respectiva; sed absolvitur intrà se partibus intrinsecè constituentibus.

Objicies quartò. Causa materialis per se, id est: per identificatam sibi potentiam, causat materialiter; ergo etiam causa efficiens creata, per se, id est: per virtutem, ac potentiam sibi identificatam, causat efficienter. Resp: N. C. quia causare materialiter immediate, nihil est aliud, quam accipere ab altero, & immediate subjectate formam, seu perfectionem; adeoque hoc ipsum dicit indigentiam, ac imperfectionem; quæ non evertit conceptum creaturæ, causare vero immediate efficienter ut quod, & principaliter, est alteri communicare perfectionem, absque intermedio instrumento; qui modus communicandi est perfectissimus in genere cause efficientis ex dictis; & competit soli cause efficienti perfe-

perfectissimæ, adeoque repugnat creaturæ; quæ sicut in modo essendi, ita in modo operandi nequit esse perfectissima.

Objicies quintò. Non repugnat substantia creatæ, esse immediate operativam, ex ratione substantia: quia DEUS est Substantia, & tamen nullo mediante instrumento est operativus; neque ex conceptu creatura: quia accidentis est creatura, & tamen non repugnat illi immediate operativum; ergo, &c. Resp: Dist. A. ly esse immediate operativum non repugnat substantiae & creaturæ, separatis, in sensu diviso acceptis C. A. conjunctim, & in sensu composito acceptis N. A. ly esse immediate operativum principaliter, & ut quod, est perfectio simpliciter simplex; id est: perfectio, nullam in conceptu suo essentiali involvens, aut connotans imperfectionem; estque modus operandi perfectissimus, ac Divinus, ut patet ex nuper dictis. Omnis autem creatura in suo esse est limitata, ac imperfecta; cum enim perfectissima non sit, caret in suo esse aliquam perfectionem. Ergo etiam in modo operandi nequit esse perfectissima; quia modus operandi sequitur modum essendi, ita ut non possit esse perfectior modo essendi. Ergo modus operandi perfectissimus repugnat creaturæ; ergo ly esse immediate operativum ut quod principaliter, est prædicatum repugnans huic

subjecto creature; ergo est repugnantia in con-  
junctione, seu identitate terminorum, talis  
prædicati, cum tali subjecto. conceptus enim  
prædicati, evertit conceptum subjecti.

Urgebis. Ly substantia est perfectio sim-  
pliciter simplex [ competit enim D E O , qui est  
mera Perfectio ] & tamen non evertit conce-  
ptum creature; ergo à pari. Resp: Dist. A.  
ly substantia simpliciter, quæ non involvit, aut  
connotat in conceptu suo aliquid limitans C.  
A. ly substantia creata, adeoque limitata N.  
A. & C. Solus D E U S est Substantia simpli-  
citer, sive addito limite: omnis autem crea-  
tura est tantum substantia, cū addito, aut sub-  
intellesto termino limitante; nempe substanc-  
ta substans accidentibus, *creata, ab alio, &c.*  
adeoque hoc prædicatum substantia, prout  
verificatur de creatura, saltēm confusè invol-  
vit aliquam imperfectionem: neque potest  
D E O , & creatura abstrahi aliquis conceptus  
univocus, ac perfectè similis, respectu D E I ,  
& creatura; sed tantum analogus: quia semi-  
per, implicitè saltēm, involvit ly simpliciter, ly  
substans accidentibus; & ly à se, ly ab alio; adeo-  
que involvit saltēm implicitè aliquam ratio-  
nem disconveniendi.

Objicies sexto. Ipsum accidens seipso im-  
mediate agit, non mediante aliquo alio instru-  
mento [ nē procedatur in infinitum ] & tamen

nō arguitur: quod virtus illa sit perfectio illimi-  
tata, ac Divina: aut quod accidens sit agens  
perfectissimum; ergo etiam licet substantia a-  
geret immediate sine medio instrumento;  
non sequeretur, quod esset agens perfectissi-  
mum, ac Divinum. Resp: Dist. A. acci-  
dens agit instrumentaliter, & ut quo Con. A.  
principaliter, & ut quod N. A. propriè loquē-  
do accidens non est id, quod agit; sed est id,  
quod causa principalis agit. Unde N. C. quia  
agere instrumentaliter, seu esse instrumentum,  
nou est perfectio simpliciter simplex; sed est  
tantum perfectio secundum quid: habet enim  
admixtam imperfectionem, seu indigentiam,  
ut moveatur ab alio. adeoque ly instrumenta-  
liter, conjunctum ad ly agere immediatè, li-  
mitat illud, cui adjungitur; nempe modum  
operandi accidentis, & arguit imperfectionem.  
Si quidem omnis limitata perfectio, per limi-  
tem suum, excludit aliquam perfectionem, at-  
que privat illâ perfectione subiectum: imper-  
fectio enim nihil est aliud, quam privatio, seu  
carentia perfectionis; ergo, &c. At vero age-  
re immediatè principaliter, est modus agendi  
perfectissimus, ac illimitatus; quia ly agere im-  
mediatè, in suo conceptu essentiali, non dicit  
imperfectionem, seu limitem exclusivum ali-  
cujus perfectionis; alias non conveniret D E O .  
neque ly agere immediatè, limitatur per ad-  
iectum

junctum ly principaliter : quia neque hoc in conceptu suo essentiali , involvit aliquem limitem , ac imperfectionem . Ergo hoc rotum prædicatum : ly agere immediate principali ter , est perfectio simpliciter simplex , nullam involvens limitationem , ac imperfectionem ; & significat modum operandi perfectissimum , ac illimitatum ; ergo implicat illud identificari cum hoc subjecto : substantia crux ; quæ essentialiter est in omni genere limitata , & imperfecta . si enim vel unica perfectio , creature realiter identificata , esset illimitata , ac infinita ; tunc illa creatura realiter , & identice , esset infinita , ac illimitata in omnibus perfectionibus suis ; quod evenit conceptum creature .

Replicabis . Etiam si substantia creata esset per se immediate principaliter operativa , adhuc erit limitata virtutis ; quia indigebit accidentibus : & dependebit ab accidentibus , velut à conditione prærequisita , ut in subjecto possit producere formam substantialem : cùm nulla causa secunda creare possit , aut effectum indépendenter à subjecto disposito producere ; ergo ille modus operandi non erit perfectissimus , ac Divinus : cùm D E U S ab ejusmodi conditione , essentialiter non dependeat , posse itque aliquid etiam ex nihilo producere . R . hoc effugium non esse universale . quia juxta

Adver-

Adversarios substantia immediate , ac per se , efficienter emanat suas proprietates , ac virtutem operativam ad extrâ ; in qua operatione non dependet ab alijs accidentibus , velut à conditione , nè abeat in infinitum . In forma Dist . Con . ergo ille modus operandi non erit perfectissimus , ac Divinus formaliter T . C . arguitivè N . C . quia saltè illa substantia in se , ac entitate sua , esset perfectissima ; adeoque à se . Sicut si esset aliqua creatura essentialiter , ac per se cognoscitiva , volitiva , &c . ita ut sibi haberet realiter identificatum actū , cognitionis , volitionis , &c . licet dependeret ab objecto , velut termino , & conditione re quisita ; esset tamen in se , ac entitatè perfectissima , ac à se . Ratio est : quia talis cognitio , volitio , &c . nullum proorsus poneret principium , ex quo , & à quo vitaliter efficeretur ; ergo etiam esse talis substantiae , nullum præsupponeret principium , ex quo , & à quo efficeretur ; ergo esset etiam talis substantia à se . Quia denique modus operandi est proportionatus modo essendi .

Objicies septimò . Modus operandi sequitur modum essendi . Atqui modus essendi substantiae est perfectior , quam accidentis ; ergo & modus operandi . Subsumo : Atqui perfectius est operati immediate , quam mediatae ; ergo substantia à potiori operatur imme diatae .

diate, Resp: Dist. Subs: cæteris paribus, & quando actio est in eadē linea causarum C. cæteris imparibus, & quando actio est in diversa linea causarum N. Subs: Si utraque actio sit causa principalis; tunc illa est perfectior, quæ agit immediate: quam illa, quæ agit mediate. quando autem una actio est in linea causandi principaliter, & altera in linea causandi instrumentaliter; tunc actio principalis mediata est perfectior, quam instrumentalis immediata. Accidens autem non causat principaliter, sed tantum est via, virtus, medium, ac instrumentum, quod causatur effectus. sic Imperator, ordinans exercitum, pugnat mediate: miles gregarius immediatè; & tamen modus pugnandi Imperatoris est perfectior, quam gregarij: quia ille est principalis, iste tantum, quodammodo respectivè instrumentalis.



## THEISIS V.

**DEUS**, utpote Causa Prima Infinitæ Perfectionis, determinat efficaciter ad individuum effectus; id est: producit hæcceitatem, ac perfectionem individualem effectus; vi cuius ipse opponitur imperfectioni, cuiuslibet alterius entis creati, ac limitati; adeoque non datur Series effectuam.

*Colligitur ex P. Suarez D. 5. Met. S. 3.  
4. & 6. Itèm D. 26. S. 5. PP. Conimbr. in l. 2.  
Phys: c. 7. q. 15. a. 1. & 2. P. Comptono.  
D. 31. Phys. S. 1.*

§. I.

*Explicatur & Probatur nostra Sententia.*

**D**ico primò. Nulla causa creata determinat per productionem ad individuum sui effectus; id est: nulla causa secunda producit perfectionem individualem, seu hæcceitatem sui effectus.

Probatur. Omnis causa creata est limitatae perfectionis; limes autem ille est hæcceitas, vi cuius causa constituitur *hoc ens*, distinctum ab omni

ab omni alio ente, quod non est ipsa. atque ita causa creata, per hæcceitatem suam, simul compleetur in ratione individui, & simul excludit à se omnem perfectionem alterius entis; & consequenter etiam entitatem, seu perfectionem entitativam sui effectus, utpote à causa distinctam. Atqui excludere perfectionem entitativam est imperfectio; ergo omnis causa creata habet admixtam entitati sua imperfectionem, seu carentiam alicujus perfectio-  
nis, quæ reperitur in alio distincto ente, & non reperitur in ipsa. Ergo etiam in effectu est aliqua perfectio, illi imperfectioni causæ op-  
posita, ab entitate causæ distincta, & per il-  
lam imperfectionem, causæ admixtam, ex-  
clusa. Atqui perfectio, per hæcceitatem cau-  
sa exclusa, non est necessariò perfectio consti-  
tuens naturam, seu speciem effectus; alias o-  
mnis causa distingueretur specie à suo effectu;  
& sic ignis producens esset diversæ speciei ab  
igne producto, &c. ergo est saltèm, & tan-  
tum, perfectio individualis, seu ipsa hæcceitas,  
constituens effectum in individuo. ergo effec-  
tus habet perfectionem individualem, quam  
non habet ulla causa creata; ergo illam non  
accipit ab ulla causa creata: quia nemo dat, quod  
non habet.

Confirmatur primò. Entitas realis effectus,  
habet sibi realiter identificatam hæcceitatem.  
ergo hæcceitas est aliquid reale; ergo est ali-

qua

qua perfectio. Atqui hanc nequit accipere ab ulla causa creata; siquidem omnis causa crea-  
ta, cum sit limitata perfectionis, vi limitatio-  
nis suæ, excludit omnes perfectiones entium  
alterius speciei: itēmque omnia entia in indi-  
viduo, quæ non sunt realiter ipsi identificata. Sed quod causa creata à se excludit, id non in-  
cludit; ergo id non habet; ergo id dare nequit;  
ergo, &c.

Confirmatur secundò. Omnis causa creata  
existit determinatè, in specie certa, & in indi-  
viduo. ergo sicut per terminum, seu differentiam  
specificam, excludit perfectiones alterius  
speciei; ita per terminum, seu differentiam  
individualē (id est: per hæcceitatem suam) ex-  
cludit à se alia individua. ergo etiam individuum  
sui effectus cuiuscunq; Ergo sicut  
non potest dare perfectiones alterius speciei,  
quas per differentiam specificam à se excludit;  
ita nec potest dare perfectionem alterius indi-  
vidui, seu hæcceitatem alterius entis: quia &  
hanc per differentiam suam individualē à se  
excludit, adeoque in se non habet.

Confirmatur tertio. Implicat, ut eadem  
ipsissima hæcceitas, sit communis pluri-  
bus; in quantum hæcceitas est exclusiva o-  
mnis alterius entis limitati, & per limitem su-  
um omne aliud ens à se removentis. ergo im-  
plicat, ut causa creata, hæcceitate affecta, con-  
tineat

tineat in se hæcceitatem sui effectus; ergo implicat, ut illam producat: quia denique nemo dat, quod non habet.

Confirm: & explicatur amplius 4. Hæc etas effectus, est ratio formalis, propter quam entitas, seu perfectio, excluditur ab entitate causæ creatæ. & hæc est imperfectionis causæ creatæ: quod sit exclusiva alterius perfectionis. Ergo effectus habet in se aliquid ratione cuius opponatur illi imperfectionis causæ creatæ. Sed id, quod opponitur imperfectioni, est perfectio; ergo effectus habet in se aliquam perfectionem, quam non habet causa creata; ergo illam non potest participare à causa creata. Atqui illa perfectio non est prædicatum genericum, aut specificum; quia effectus sæpe continetur sub eodem genere, & sub eadem specie cum causa creata; ergo est perfectio significata per prædicatum hæcceitatis, seu individualitatis; ergo nulla causa creata potest producere ullius effectus hæcceitatem; siquidem rursus verum est: *nemo dat, quod non habet.*

Confirm: quintò. Omnis causa per actionem suam assimilat sibi effectū; & in tantum effectus penderet ab aliqua causa, in quantum ipsi assimilatur, ergo in quantum ipsi dissimilatur, in tantum ab ipsa causa non penderet, nec producitur. Atqui per hæcceitatem (ùr oppositā imperfectionem

ktionem causæ limitatae) omnis effectus dissimilatur causæ creatæ; ergo secundum hæcceitatem à nulla causa creata producitur.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. S. Thom: Quodlib. 5. a. 8, ait: impossibile est eundem filium nasci, sive sit alius Pater, sive sit alia Mater; sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur. ergo causa secunda determinat ad individuum. Explico S. Thomam cum distinctione Antecedentis: ex suppositione ultimæ determinationis ad individuum, à DEO factæ C. A. independenter à suppositione determinationis ad individuum N. A. & C. Sicut sigillum ex se, & ex natura sua, non dicit intrinsecum, ac essentialē ordinem ad hanc in individuo signationem: ita nec causa creata, ad hoc individuum effectus; sed fit determinatio ad individuum aliunde, ab extrinseco, nempe ab influxu Divino.

Objicies secundò. Hoc individuum agens e. g. ignis A. est causa per se ignis B. Atqui non est causa per se, secundum suam rationem specificam; quia ignis A. secundum rationem specificam, non distinguitur ab igne B. causa vero efficiens debet distingui à suo effectu.

Ergo

Ergo secundūm ipsam rationem individualēm est causa per se ignis B. ergo, &c. Resp: Dist. Min. non est causa per se, secundūm rationem specificam, logicē, formaliter, & in abstracto acceptam Con. Min. secundūm rationem specificam, physicē, materialiter, tanquam substratum concreti, acceptam N. Min: Distin similiter adjunctam Min. probat: & N. Con. DEUS, utpote Causa Prima, coinfluit cum creatura in effectum; e. g. cum igne A. in ignem B. ignis A. est causa per se productiva naturæ ignis B. quæ identificatur realiter cum hæcceitate, seu ratione individuali ignis B. à D E O producta. Porrò ignis A. (utpote causa) distinguitur ab igne B. (utpote effectu) secundūm hæcceitatem: non verò secundūm naturam ignis; quia distinguntur tantum numero, non specie.

Objicies tertio. Quælibet causa ex natura sua specifica, cum his specie dispositionibus, est determinata ad hanc speciem effectus, sive ulteriori determinatione, & speciali coinfluxu Causæ Primæ. Ergo etiam causa hæc individua, cum his individuis circumstantijs accepta, est determinata ad hunc numero effectum. Resp: Dist. Ant. est determinata in actu primo C. A. in actu secundo Nego A. Causa univoca ex natura sua habet potentiam producendi effectum ejusdem speciei; sed non produ-

producit illum actu, neque exercet potentiam suam; nisi DEUS coinfliens comproducat effectus illius hæcceitatem. quia implicat produci naturam secundūm se, quæ non sit realiter determinata ad individuum; cùm implicit individuum vagum à parte rei. Dist. etiam Con: ergo etiam causa hæc individua est determinata extiinsecè ad hunc numero effectum, & quidem materialiter acceptum, qui est individuus Con. est determinata intrinsecè ex natura sua, ad hunc formaliter, & ut individuum effectum N. C. Individuatio causa, individuatio harum dispositionum, &c. sunt conditiones naturaliter prærequisitæ, ut DEUS concurrat, & efficienter producat hæcceitatem effectus, simul ac causa secunda agit.

Urgebis. Sicut se haber species causæ, ad speciem effectus: ita se haber individuum causæ, ad individuum effectus. Atqui causa intrinsecè, ex natura sua, est determinata ad speciem; ergo etiam causa hæc individua, ad individuum effectus. R: D. Maj. quoad aliqua C. quoad omnia N. Maj: & Con. si quoad omoia foret comparatio adæqua, tunc nec successivè una individua causa, posset producere plus quam unum in individuo effectum: sicut una specie caula, nempe univoca, nec successivè potest producere plures in specie effectus. Disparitas autem est: quia causa cu-

juscunque speciei, continet perfectionem effectus, qui est univocus, & intrà eandem speciem. alias cò ipsò non essent intrà eandem speciem. at verò una in individuo causa creata, non continet perfectionem individualem effectus; quia illam à se excludit: siquidem individualiter ab illo distinguitur; ergo, &c.

Objicies quartò. DEUS est Ens omnimodè Illimitatum; excludens à Se omnem limitem finitum. ergo etiam implicat, ut DEUS producat hæcceitatem, seu limitem distinctivum creaturæ individualiter. Resp: indirectè: DEUS est Ens omnimodè Increatū; excludens à Se omnem rationem creati; ergo implicat, ut DEUS producat ullum esse creatum? In forma Dist. A. excludens à Se omnem limitem, quoad rationem imperfectionis; in quantum videlicet ille limes est oppositus àlicui perfectioni, ejusque exclusivus est; ac proinde in quantum ille limes dicit imperfectionem Con. A. in quantum ille limes realiter individualiter est perfectio, intrinsecè perficiens, ac complens individuum reale N. A. Dist. similiter Cons. & N. Cons: DEUS continet, Solusque producit hæcceitatem effectus cuiuslibet, secundum quod illa perficit, & constituit reale individuum; & secundum quod illa opponitur imperfectioni, cuiuscunq; creaturæ, propterea imperfectæ, quod excludat

perfe-

perfectionem individualem omnis alterius entis, quod non est ipsa. sic Solus DEUS continet, adeoque Solus producere potest, perfectionem individualem e. g. ignis B. ratione cuius ignis B. opponitur omni creaturæ, quæ carer illâ eadem perfectione. in quantum verò illud ipsum individuum e. g. ignis B. vicissim excludit perfectionem individualem cuiuslibet alterius entis: in tantum quoque ignis B. dicit imperfectionem. ratione autem imperfectionis, non indiget ullâ causâ sui productivâ; quia Aristotelis, & D. Thomæ Axio-ma est: non entis, non datur ulla causa. item: defectus quâ talis, non eget causa efficiente, sed deficiente.

Objicies quintò. Licet causa creata non contineat hæcceitatem sui effectus formaliter: continet tamen illam eminenter virtualiter; ergo potest illam producere. Resp: N. 2. p. A. ideo enim contineret eminenter virtualiter; quia ratio specifica est perfectior, quam individualis. ergo quæcumque causa habet rationem specificam, contineret eminenter virtua-liter quamcumque rationem individualem: quia ratio specifica est perfectior quamcumque ratione individuali. Ergo etiam eminenter virtualiter contineret suam perfectionem individualem. Sed eam, quam eminenter virtualiter continet, posset producere; ergo & su-

H 2

am

am posset. Ergo aliqua causa saltēm partia  
liter posset sibi dare primum esse, quod impli-  
cat. Deinde: si major perfectio, eminenter  
continens minorem perfectionem, sufficeret  
ad productionem; tunc Angelus posset pro-  
ducere hominem: homo quidlibet se imperfe-  
ctius; quod est falsum. Denique nulla cau-  
sa eminenter virtualiter continet eam per-  
fectionem, cui oppositam habet imperfectio-  
nem, & quam à se excludit. Atqui unaqua-  
libet causa creata, quia limitatae perfectionis  
est, continet imperfectionem oppositam hæ-  
cœritati effectus, quam à se excludit; ergo,  
&c.

Objicies sexto. Licet causa creata non con-  
tineat eandem numero hæcœtitatem, seu per-  
fectionem individualem, quæ ultimè con-  
stituit individuum effectus: continet tamen  
perfectè similem, & omnino æqualem; ergo  
adhuc potest eam producere. Resp: N. 2.  
part: Ant. quia hæcœitas, seu ultima indivi-  
dualis differentia, essentialiter est ultimata ra-  
tio disconveniendi. ergo una hæcœitas essen-  
tialiter aliquid dicit, quod non habet altera;  
ergo implicat ut sint perfectè similes, ut sint  
omnino æquales, &c. alias non distinguerent  
unum ab altero; sed ultimæ differentiæ esent  
potius ratio conveniendi. Imò: cùm hæ-  
cœitas causæ sit exclusiva hæcœtitatis effectus:

hæc-

hæcœitas verò effectus non sit exclusiva sui  
ipsius, & vice versa; quomodo duæ hæcœti-  
tates possunt dici perfectè similes, ac omnino  
æquales?

Objicies septimo. Virtus instrumentalis est  
accidens; adeoque nec genericam, nec speci-  
ficam perfectionem substantiæ continet; & ta-  
men immediate efficit substantiam, sine ul-  
teriori recursu ad DEUM. ergo neque propter  
perfectionem individualem eò recuriendum  
est. Resp: Dist. 2. part. A. efficit substanti-  
am ut quo, & instrumentaliter C. A. efficit  
substantiam ut quod, ac principaliter N. A.  
Virtus instrumentalis non est id, quod produ-  
cit effectum: sed est id, quō producitur effe-  
ctus substancialis. hic autem inquirimus: an  
causa creata sit illud, quod hæcœitatem effe-  
ctus producit? unde omisso A; N. Cons. Disp:  
est: quia licet virtus instrumentalis se ipsâ nō  
contineat perfectionem specificam, aut gene-  
ricam substantiæ; continet tamen illam causa  
principalis, cuius est illa virtus instrumenta-  
ria, hæcœitatem verò effectus, nec continet  
hæcœitas causæ, nec perfectio specifica ejusdem;  
ergo, &c.

Objicies octavo. Modus operandi sequi-  
tur modum essendi, eisque proportionatur. sed  
modus essendi causæ est determinatus ad indi-  
viduum; ergo etiam modus operandi ejusdem

H 3

est de-

est determinatus ad individuum. Resp: Di Min. modus essendi causa est determinatus ad individuum, à DEO C. ab ipsa causa creata N. Min. Dist. similiter Cons. & N. C. Imo si in omnibus, & adaequata principij allegati esset comparatio; tunc causa in operando sic esset determinata ad unicum individuum, sicut determinata est ad unicum individuum in esfendo; adeoque nulla causa posset plura effectuum individua producere.

Objicies nonò. Causa Prima, & Autor naturæ, nihil operatur, nisi ad exigentiam naturæ. ergo saltèm causa creata exigit in effectu hanc individuationem produci; ergo saltèm hoc sensu datur series effectuum; nempe radicaliter. Resp: nos inquisivisse de causa, quæ efficienter producat hæcceitatem effectus. In forma Distin. Ant. nihil operatur, nisi ad exigentia, saltèm indeterminatam C. nisi ad exigentiam semper determinatam N. A. Dist. similiter Cons. & N. Con. DEUS videns causam creatam, passo applicatam: & adesse conditiones ceteras, ad agendum necessarias; vider causam creatam connaturaliter exigere, ut exerceat suam potentiam, & agat, vider quoque, sine suo coinfluxu, ac determinatione ad individuum, nihil fore agendum; ergo ut Autor naturæ coinflet ad effectum in individuo. Patet autem instantiâ famelici,

exigen-

exigentis saturari cibo: materiæ, exigentis formam, &c. quod etiam exigentia indifferenti, ac indeterminate, saepè non possit satisfieri, nisi per aliquid in individuo determinatum.

Objicies decimò. Si causa produceret perfectionem specificam effectus; produceret se ipsam: quia & ipsa continetur intrà illam speciem; atqui hoc implicat; ergo, &c. Resp: Dist. Seq: Maj. si produceret perfectionem formaliter, ac logicè specificam; aut secundum omnem sui extensionem ad quævis individua C. si produceret perfectionem materialiter, ac fundamentaliter specificam; aut tantum quasi intrinsecè totam: nempe quoad prædicata naturæ intrinseca N. Seq: Maj. & C: ignis e. g. producit ignem; sed secundum naturam, quæ identificatur hæcceitati, à DEO, cofluente in effectum, productæ; non naturam in abstracto, prout hæc est universalis, cuilibet individuo communis. neque producit ignem, prout illi realiter omnes hæcceitates identificantur, & in quantum ad omnia eiusdem speciei individua quodammodo extenditur. sic etiam DEUS producit rationem entis; & tamen non producit Se Ipsum: quia non producit ens in tota latitudine, sed per additam limitationem coarctatum.



## THEISIS VI.

Alteratio per se, & ex natura sua, est motus continuus: nec ullis temporatijs morulis interpolatus, ac discretus.

Ità Aristoteles 6. Phys. t. 49. D. Thom. ibid. L. c. 7. P. Suarez. D. 46. Met. S. 3. P.

Compt. D. 5. de Gener. S. 2. &c. 4.

P. Maurus hic. q. 26.

## §. I.

## Probatur Conclusio.

**O**MNE agens naturale, quod actione suâ alterat mobile, est agens necessarium. Atqui omne agens necessarium, debitè applicatum, nec ab extrinseco impeditum, agit semper, & continuè; ergo omne agens naturale, quod actione suâ alterat mobile, agit continuè. Minor probatur: juxta Aristotelem 2. de Gen. c. 10. t. 5. 6. idem similiter se habens, semper idem natum est facere. Estque Axioma à D. Thoma, & Peripateticis receptum: idem manus idem, semper est aptum facere idem. Atqui agens necessarium, si maneat debitè applicatum;

tum; sique retineat omnia ad agendum requisita, nec accedat impedimentum ab extrinseco; manet tum in se, tum quoad circumstan-  
tias idem; ergo semper est aptum facere idem, seu agere. Subsumo. sed agens necessarium, quamdiu est proximè aptum, ac potens agere, actu agit. nec enim potest non agere: quia per hoc differt ab agente libero; ergo, &c. ergo tale agens sine interruptione alterat subje-  
ctum mobile. ergo alteratio est motus con-  
tinuus, non interpolatus morulis.

Confirmatur. Elapsò tempore intermedio, agens in instanti terminativo non habet alias vires, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco; quas non habuisset ipso quoque intermedio tempore. ergo tam bene agit tempore intermedio, quam quocunque alio; ubi Adversarij actionem resumi, falsò afferunt: cum non sit agens liberum, quod pro libitu actionem modò suspendat, ac dein reassumat; sed est agens necessarium, quod habitis omnibus ad agendum requisitis, non potest omittere actionem.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Juxta Aristotelem 8. Physicorum t. 23. admittere alterationem continua-  
m, est valde manifestis adversari. & 6. Physi-

corum c. 54. docet: motus, qui habent terminos oppositos, non posse continuari. Atqui alteratio strictè accepta, habet terminos oppositos; ergo, &c. Resp: Explico Aristotelem cum Dist. Maj. intelligendo de continuitate perpetuataris, ita ut nunquam perveniant ad finem, seu quietem C. Maj. intelligendo de continuitate temporis, non interrupti per otiosas ejusmodi morulas, dum subiectum alteratur N. Maj. & C. Aristoteles in primo textu agit contra Heraclitum, qui docuerat: quodd corpora motu perpetuo agantur, & nunquam perveniant ad quietem. Ceterum ex eodem textu confirmatur nostra Conclusio; quia Aristoteles ibidem expressè ait: *Sanum ex agro fieri in tempore, non verò in termino temporis.* Atqui motus sanationis est alteratio; ergo alteratio fit in tempore. sed tempus est continuum; ergo alteratio est continua.

Objicies secundò. S. Th. l. 2. contra Genites. c. 89. docet: quodd non tota alteratio sit continua; ergo, &c. Resp: Explico S. Th. Dist. A. quodd non tota alteratio, quæ prædit generationem hominis, sit continua C. A. quodd universaliter, & absolute, per se, ex natura sua, tota alteratio non sit continua N. A. & C. S. Thomas ibidem ostendit, in generatione hominis sibi succedere plures substantiales

tales formas viales, semper perfectiores, & perfectiores; quibus sine dubio illa alteratio interrupitur; cum formæ substantiales entitative sint indivisibiles; adeoque formaliter producantur in instanti. Unde non nego, aliquam alterationem, ratione impedimenti intervenientis, posse interpolari: sicut etiam cursor, interveniente obstaculo, in motu locali subsistit; sed nego id per se, necessarium, atque ex natura alterationis fieri.

Objicies tertio. Alteratio est productio qualitatis e. g. caloris. sed juxta S. Thomam calor est indivisibilis; ergo alteratio est productio rei indivisibilis. ergo fit formaliter in instanti. ergo non fit in tempore. ergo non est motus continuus. Resp. Distin. Min. calor est indivisibilis, quoad essentiam metaphysicam caloris C. M. physicè, & in ratione continui, & quoad gradus intensionis, secundum quos perfectius & perfectius educitur, ac se se subjecto comunicat N. Mi. D. similiter C. & N. C. calor e. g. incipit produci ab instanti, producitur autem in tempore. Porro essentiae rerum omnium, hoc sensu sunt indivisibles; ut si quodcumque prædicatum essentiale addas, vel demas, varietur species metaphysica; juxta S. Thom: i. p. q. 76. a. 4. unde etiam essentiae rerum juxta Aristotelem s. Met. t. 10. dicuntur esse sicut numeri. calor tamen

(idem est de alijs qualitatibus materialibus) secundum minores & minores partes continuas, est in infinitum divisibilis; neque perveniri potest ad partem absolutè minimam.

Objicies quartò. Licet illo tempore intermedio adsint omnia requisita: debet tamen subjectum disponi, ut recipere possit gradum alterum qualitatis; ergo illo tempore quiescit, ergo, &c. Resp: Nego Ant. universaliter acceptum. quia sicut dantur primæ qualitates, quæ non presupponunt alias qualitates dispositivas ante se; ità quoque dantur primæ alterationes, quæ non presupponant alias, nè procedatur in infinitum. Sed transmissio A. N. C. quia eò ipso, quod disponatur subjectum illo tempore intermedio, per actionem alterantis disponitur; ergo non quiescit: siquidem alteratur per dispositiones introductas; ergo motus alterationis adhuc est continuus.


Objicies quintò. Duo e. g. aliquot passibus à se invicem distantes, simul æquales percipiunt vocem loquentis; ergo species soni propagatur indivisibiliter; ergo non successivè; ergo nec in tempore continuo; ergo alteratio non est continua. Resp. N. A. licet enim in modica loci distantia, modicum excessum sensu non discernamus; ratio tamen, & experientia probat: quod ulteriore spatio, & tardius, & remissius percipiatur. Sic licet quis plan-

tam

tam crescentem integro die aspiceret, propter exiguum in singulos horæ quadrantes incrementū, illud discernere non posset; peracto tamen die integro, rectè inferret, quod singulis horæ quadrantibus aliquid accreverit.

Urgebis. Si mortus non interpolaretur morulis, lequeretur afferem (e.g.) injecto pondere illico frangi: & non primum post aliquot dies, aut menses; ergo, &c. Resp: N. Seq: licet enim hujus ratio non petatur ex morulis, aliunde suppetit; quia nimis pori afferis, injecto pondere diu pressi, sensim laxantur; atque ita affer succelu temporis, ad fractionem magis ac magis disponitur, quam ad initium, neandum laxata partium cohærentium firmitate.



***THEISIS VII.***

**Intensio formaliter , est additio gradus , seu partis heterogeneæ ac dissimilis , ad partem , seu gradum ejusdem in specie qualitatis .**

*Colligitur ex Aristotele. cap. de Prædicatione Qualitatis. D. Thom: 3. p. q. 7. a. 12. in C. & in 1. Sent. Dist. 17. q. 2. a. 1. docētque expressè P. Suarez. D. 46. Met. S. 1. n. 34. & 37. P. Comptonus hic D. 10. S. 2. & 3. P. Illephons : Pennafiel. D. 3. hic q. 3. S. 2.*

**§. I.**

*Refellitur Sententia de majori radicatione.*

**D**ico primò. Intensio non consistit formaliter in majori : neque remissio in minori radicatione ; quæ significet ejusdem indivisiibilis qualitatis majorem : aut minorem unionem , communicationem , &c. ad idem subiectum.

Probatur primò. Authoritate Concilij Trident: Ss. 7. Can. 6. item Florentini ; quæ defuiverunt sub anathemate: omnia Sacra menta

*nova*

novæ legis , conferre , causare , &c. gratiam sanctificantem. alibi autem definirum est: *Sacramenta vivorum , ex institutione sua , per se , & directè , tantum conferre , ac causare augmentum gratiæ , in anima præexistentis . Iam sic argumentor : si non omnia novæ legis Sacramenta causent aliquid de entitate gratiæ , licet causent majorem ejus radicationem , id est : unionem ; ista propositio non erit vera : quod causent ipsam gratiam . ergo intensio , seu augmentum intensivum gratiæ , non est tantum major radicatio , seu unio ejusdem præexistentis gratiæ ; sed est quoque additio novæ entitatis gratiæ . A. prob. primò : licet juxta Adversarios , agens naturale , causet unionem animæ rationalis ad materiam ; non tamen est verum dicere : quod causet animam rationalem ; ergo à pati .*

Probatur secundò idem A. illa major radicatio , seu unio , non est ipsa gratia ; ergo ex hoc , quod causetur major radicatio , seu unio , non erit verum dicere : quod causetur gratia.

Probatur tertio. Sacra menta vivorum , ex Triden: & Florent: per se causant gratiæ augmentum : sicut Sacra menta mortuorum per se causant primam gratiam. Atqui Sacra menta mortuorum non causant tantum unionem , & communicationem gratiæ , sed etiam entitatem gratiæ ; ergo & Sacra menta vivorum , dum

dum causant gratiae augmentum, non causant tantum firmiorem unionem, &c. sed etiam aliquid de ipsa gratia. *Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis.*

Prob: Conclusio secundò. Autoritate Aristt ac D. Thomx. Aristot: c. de Prædic: Qualitatis; & ex eo D. Thom. 1. 2. q. 52. a. 1. in ○. ideo docet, figuræ non suscipere magis, ac minus, adeoque non posse intendi: quia sunt indivisibiles; ac proinde, quæcunque eas participant, indivisibiliter participant. Eadem rationem S. Doctor ibidem insinuat de formis *substantialibus*, utpote indivisibilibus. ergo etiam, si qualitates sunt entitatibe indivisibilis, non poterunt intendi. ergo intensio non est formaliter major radicatio, seu unio ejusdem indivisibilis qualitatis.

Deinde ipsissimus S. Doctor 3. p. q. 7. a. 12. in ○. ait: dicendum: quod aliquam formam non posse augeri, contingit dupliciter. ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad ultimum gradum, in participatione illius forma, secundum suum modum. ex parte autem forma excluditur possiblitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad ultimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura. sicut si dicamus: quod calor ignis non potest augeri; quia non potest esse perfectior gradus calorii,

caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis. Tandemque concludit: gratiam Christi non potuisse augeri, nec ex parte ipsius gratia, nec ex parte subiecti participantis gratiam. Sic ille. Infero: ergo augmentum intensivum, juxta S. Thomam, non est tantum major radicatio; sed etiam qualitatis ( gratia enim est qualitas ) secundum perfectiore gradum additio.

Denique 1. Sent. Dist. 17. q. 2 a. 1. in ○. inquit: alij dixerunt, quod Charitas essentia-liter ( entitative ) non augeatur; sed adveniente majori Charitate, minor Charitas, qua fuerat, destruitur. hoc etiam stare non potest: quia nulla forma destruitur, nisi vel ex contraria qualitate; vel per accidens ex corruptione subiecti. cum igitur subiectum charitatis maneat; et Charitas ( quæ est qualitas ) adveniens, Charitati inventa non contrarietur: non potest esse, quod destruatur, nec per se, nec per accidens, sic ipse, quid clarius?

Probatur tertio rationale. Ubi est impossibilis major effectus formalis primarius, ibi etiam est impossibilis major unio formæ ad subiectum. Arqui ubi forma est entitative indivisibilis, ibi effectus formalis primarius major est impossibilis; ergo etiam est impossibilis major unio, seu major radicatio formæ. Min. prob. effectus formalis primarius est indivisibilis, ubi entitas formæ est indivisibilis; cum ille, realitet lo-

186      *Intensio sit per additionem*  
ter loquendo, si ipsa entitas formæ in subje-  
cto. ergo, &c.

Confirmatur. Ideo anima rationalis (e.g.)  
unita corpori, non constituit virum magis sub-  
stantiam humanam, seu hominem, quam infan-  
tem; quia constituere substantiam humanam,  
est effectus formalis primarius, consistens in  
indivisiibili; sicut ipsa entitas animæ rationalis  
est indivisiibilis. ergo etiam calor (e.g.) non  
constitueret subjectum magis calidum; si enti-  
tas caloris (& consequenter effectus formalis  
primarius caloris) est indivisiibilis.

Probat: quartò. *Possit uniri subjecto: posse se  
communicare subjecto, &c.* non distinguitur ab  
entitate qualitatis; cuius essentia est: *posse in-  
herere, ac uniri subjecto;* cum sit accidentis. At-  
qui in qualitate, quoad entitatē suam indivisi-  
bili, non datur magis, aut minus qualitatis; er-  
go nec datur magis, aut minus posse inhærente,  
uniri, &c. & per consequens posse communi-  
cari subjecto, ac in eo radicari; ergo, &c. er-  
go intensio, non sit formaliter per majorem ra-  
dicationem ejusdem indivisiibilis qualitatis.

Probatur quintò. Forma in entitate sua in-  
divisiibilis, unitur tota totaliter, ac indivisiibi-  
liter, subiecto; nec enim relinquitur aliquid  
illius formæ extra subjectum, quod non unia-  
tur, ac inhæreat. ergo non potest successivè  
magis,

gradus heterogenei. 187  
magis, ac magis uniri subjecto, atque in eo  
radicari. ergo, &c.

Probatur sextò. Qualitas intensa, e. g. lux  
ut octo: calor ut octo, &c. est major virtus o-  
perativa, quam qualitas remissa, e. g. quam  
lux, aut calor, ut unum. Atqui major virtus  
operativa, dicit formaliter majorem enti-  
tatem, ac perfectionem, e. g. *caloris, lucis,* &c.  
unio enim non est formaliter ipsa virtus opera-  
tiva; sed est tantum modus uniens virtutem  
operativam ad subjectum. ergo dum intendi-  
tur qualitas formaliter, producitur major per-  
fektio, additisque aliiquid entitatis illi quali-  
tati, quæ intenditur; ergo, &c.

Confirmatur. Virtus agendi est ipsa entitas  
qualitatis, e. g. *caloris, lucis,* &c. ergo impli-  
cat augeri virtutem operativam, quin augea-  
tur entitas, e. g. *lucis, caloris,* &c. Declaro id  
instantiā: sint duas formæ, quarum una sit en-  
titativè perfectior, quam altera. illa perfectior  
erit magis operativa, licet minus actuet subje-  
ctū, quam forma entitativè imperfectior. ergo  
virtus operativa crescit juxta ipsam entitatem,  
ac perfectionem formæ; non juxta majorem,  
aut minorem in subjecto radicationem.

Probatur septimò. Ignis, Sol, cæteraque a-  
gentia naturalia, agunt uniformiter difformi-  
ter. ergo plus de qualitate propagant in sub-  
jecto

jecto minus distante, quām in subjecto magis distante; licet illa subjecta essent ejusdem intrinsecæ capacitatibus. ergo unum subjectum magis illuminatur, aut calefit, non tantum per majorem ejusdem lucis, aut caloris radicationem, sed per majorem lucis aut caloris productionem; quod nimirum in vicino plus, in remoto minus lucis, aut caloris producatur; ergo, &c.

Probatur octavò. Doctrina Aristotelis, ac D. Thomæ est: formas substantiales, quantitatem, &c. non posse intendi. Atqui si intensio formaliter consistet tantum in majori radicatione, possent intendi; quia possunt se magis, & minus subjecto communicare. forma enim substantialis, communicat plures & plures effectus formales secundarios, juxta capacitatem subjecti; ut patet in anima, pedi, & cerebro, &c. infanti, & viro, &c. unita. Itēm; quantitas tribuit effectum secundarium æqualitatis unius subjecto, non alteri; immo eidem, jam tribuit, mox non tribuit. &c. ergo, &c.

Probatur nondū. Gratia, & gloria, quæ datur ob actum meritorum perfectiōtem, est dissimilis illi gratiæ, & gloriæ, quæ datur ob actum imperfectiōtem. Atqui non potest dici dissimilis, tantum ratione majoris, aut minoris unionis, radicationis, &c. quā eidem a nimæ,

nimæ, eadem gratia, & gloria uniretur: quia alias perfectius præmium correspondet actu imperfectori, quām perfectiori. nam actu imperfectori prius elicito, correspondet tota entitas gratiæ, & gloriæ; perfectiori vero actu, tantum major unio, & modus actuandi; atque enītas gratiæ, & gloriæ, est maior præmium, quām illius gratiæ, &c. major unio, ac modus; cum omnis modus sit imperfectior, quām res illa, cuius est modus; ergo, &c.

Probatur decimò. Illi modi se se communicandi ut unum, ut duo, ut tria, &c. vel sunt ejusdem rationis: & sic imperentur Thomistæ ijsdem argumentis, quibus ipsi oppugnant gradus homogeneos in Sententia Cardin. Toleti, &c. vel sunt diversæ rationis: & sic opugnabuntur ijsdem argumentis, quibus ipsi impetrunt gradus heterogeneos in Sententia P. Suarij.

Confirmatur. Ille modus, quod se se communicat e.g. calor ut octo, vel est divisibilis, vel indivisibilis. si est divisibilis? vel est divisibilis in gradus homogeneos: & ita stat Sententia Cardin. Toleti; vel in gradus heterogeneos: & ita stat inconcussa Patris Suarij Sententia. si vero ille modus se se communicandi est indivisibilis; ergo dum sit remissio, tota totaliter radicatio, unio, &c. simul indivisim cessat; adeoque semper totius e.g. caloris est corruptio.

## Refutatur Sententia de gradibus homogeneis.

Dico secundò. Intensio non fit formaliter, per additionem gradus ad gradum omnino homogenei, & secundum omnia similis. Probatur: quia duo accidentia, omnino ejusdem rationis, non possunt simul esse in eadem parte subjecti; ut asseruit saepius D. Thomas: & probat P. Suarez D. 5. S. 8. Met. quia alterius nullus esset finis; ergo alterutrum esset ordinatum, si enim secundum omnem omnino ratione essent perfectè similia, ambo ad eundem omnino finem ordinarentur: adeòq; id ipsum, quod præstarent ambo simul in rerum natura, præstaret unūquodlibet seorsim. si verò ad fines aliquomodo diversos ordinarentur; eo ipso illa accidentia non essent omnino, ac perfectè similia, different enim per ordinem, ac habitudinem diversam.

Probatur secundò. Quia intensio formaliter, non est tantum inconnexa, ac disparata aggregatio: alias enim faceret tantum majus *aggregatum*, e. g. *calidum*; non autem magis *calidum*. atqui si intensio formaliter fieret per additionem gradus omnino homogenei, & perfectè similis; intensio esset tantum aliquod inconnexum, & disparatum *aggregatum* per accidens

accidens; quia gradus nullā unione physicā inter se unitentur, cùm unus non haberet se ut potentia, neque alter ut actus (quod ad unionem physicam per se requiritur, ex Aristotele ac D. Thoma.) essent enim perfectè quo ad omnia similes; neque haberent intrinsecum aliquem ordinem inter se, & habitudinem ad se invicem, &c. sed essent à se independentes, ita ut qui modò est primus, posset esse octavus; ergo, &c.

Probatur tertiod. Quia ex gradibus homogeneis sequitur contra manifestam experientiam, & rationem: quod subjectum e. g. calidum *ut unum*, posset in ligno producere calorem *ut octo*. nam illud calidum potest in octo lignis distinctis singillatim producere calorem *ut unum*; ergo potest in distinctis octo lignis producere octo gradus caloris. Ergo si hanc vim agendi exerat in unum lignum, calefaciet illud *ut octo*: gradus enim caloris producti in octo lignis distinctis, sunt omnino ejusdem rationis cum gradibus in uno ligno productis; & agenti aliunde, subjectorum diversitas, est accidentaria. ergo, &c.

Probatur quartò. Quia sequitur, quod e. g. duo ligna, singula calida *ut duo*, possent se invicem intendere ad calorem *ut octo*; quia subjectum ejus intensio, usque ad octavum gradum, est capax; & in singulis illis lignis est vir-

est virtus producendi octo similes gradus caloris, ergo, &c.

Probatur quintò. Quia sequitur in remissione connaturaliter, vel nullum gradum e. g. caloris posse expelli; vel debere semper omnes simul pelli, quorquot sunt in subjecto, in quod introducitur e. g. frigus *ut unum*. nam ille gradus frigoris æqualiter pugnat cum singularis gradibus caloris; cùm sint omnino similes. Ergo non est naturalis ordo inter ipsos gradus caloris; adeoque non est connaturalis exigentia, cur potius expellatur gradus A, quam B, vel C. DEUS etiam *ut* Autor naturæ, ac connaturaliter, nihil agit, nisi ad exigentiam causæ secundæ. ergo, &c.

### S. III.

#### *Probatur nostra sententia.*

Dico tertio. Intensio est formaliter additio gradus, seu partis heterogeneæ, ac dissimilis ad partem, seu gradum heterogeneum, ac dissimilem, ejusdem in specie qualitatis, eidem parti subjecti unitæ. Ptiusquam probem, explico Conclusionem in exemplo: intensio caloris formaliter consistit in hoc, quod parti caloris imperfectæ, nimirum gradui primo, addatur in eadem parte subjecti, e. g. ligni, pars caloris, seu gradus perfectior; non quidem perfectior in ratione specifica caloris;

id est:

id est: non perfectior, quoad essentiam qualitatis, e. g. caloris; sed quoad integratatem illius qualitatis. Vide P. Suarez. D. 46. Met. Sect. i. n. 34. Conclusio sic explicata, nunc

Probatur primò. Primus gradus tenet se ex parte subjecti: habérque se per modum potentiarum proximè receptivæ, quā subjectum adaptatur formaliter, ut possit recipere secundum. & secundus est id, quā formaliter adaptatur subjectum, ut possit recipere tertium, &c. Ergo secundus est perfectior, quam primus; & tertius, quam secundus, &c. sed non est perfectior in specie, ac essentia caloris; ergo in ratione integrali, & partis, &c. ergo gradus sunt dissimiles, ac heterogenei. Cons. prima prob: actus perfectus est perfectior, quam imperfectus, ut ex terminis patet. sed primus respectu secundi; secundus respectu tertij, &c. est imperfectus: quia habet se respectu illius per modum potentiarum receptivæ; potentia autem receptiva, quā talis, dicit imperfectiōem, id est repugnat DEO; ergo, &c.

Confirmatur hæc ratio: gradus adveniens subjecto, quod jam actuatum est gradu primo, perficit illud; tertius perficit actuatum secundò; quartus tertio, &c. ergo primus est perfectibilis à secundo, secundus à tertio, &c. Sed perficere dicit perfectionem, quam formaliter non haber perfectibile; imò perfectibile, quā tale,

194 *Intenso fit per additionem*

*tale*, dicit imperfectionem, seu carentiam illius perfectionis, quam accipit à perfectivo; ergo, &c. Sed non est perfectior unus altero in ratione essentiali caloris: alias calor non esset species infimae qualitatis; ergo in ratione integrali partis, seu *graduali*.

Confirmatur secundò. Omne perfectibile est inferius perfectivo in ea ratione, in qua ab illo perficitur. Atqui primus perficitur à secundo, secundus à tertio, &c. ergo primus est inferior in perfectione; ergo est imperfectior, quām secundus; & secundus, quām tertius, &c. in ea ratione, in qua primus à secundo, secundus à tertio, &c. perficitur. sed perficitur ab illo in ratione caloris integrali, graduali, & intensiva; ergo in hac ratione est unus altero perfectior; ergo sunt gradus heterogenei.

Confirmatur tertio. Perfectior est qualitas intensa, quām extensa: quia magis accedit ad finem, nempe ad formam subtilitatem; ad quam qualitas, e. g. calor, est dispositio: quod autem aliquid magis accedit ad finem, eò magis accedit ad primum in intentione; adeoque est eò perfectius; ergo qualitas intensa est perfectior, quām extensa. Ergo gradus, quo intenditur qualitas, est dissimilis illi gradui, qui in subjecto praexistit.

Pro-

195  
*gradus heterogenei.*

Probatur secundò. Calor e. g. ut *oculo*, est virtus instrumentalis sufficiens, ut igitur unus generet alterum, eo mediante ut instrumento; calor ut *unum* non est sufficiens. ergo calor ut *oculo* est heterogeneus, & dissimilis calori ut *unum*.

Probatur tertio. Virtus operativa est perfectio. reperitur enim in DEO Perfectissimo. Et ratio est: quia bonum est aeternè communicativum sui; ergo quanto virtus operativa major est, tanto est perfectior. sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter: ita se habet magis ad magis. Atqui qualitas magis intensa est efficacior, quām remissa; & virtus illius operativa est major, quām hujus. cum quia habet majorem vim alterandi subjectum; cum quia habet majorem vim movendi sensum; e. g. major lux oculum: intensior calor tactus; ergo qualitas intensior, est perfectior, quām remissa; ergo gradus qualitatis in perfectione intensiva, & integrali, sunt inaequales; ergo perfectior unus altero; ergo heterogenei.

## §. IV.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Aristoteles 4. Phys. t. 84. ait: *ex calido fit magis calidum, nullo facto* (N.B.) *in materia calido, quod non esset calidum,*

I 2

dum,

196      *Intensio fit per additionem*  
dum, quando erat minus calidum; ergo, &c.  
Resp: N. C. Aristoteles ibi non negat educia-  
liquid de nova perfectione integrali caloris,  
dicit enim eodem textu: *sicut ex frigido fit ca-*  
*lidum, sic ex calido fieri magis calidum.* Atqui  
dum ex frigido fit calidum, educitur calor è  
potentia subjecti. Sed non educitur ille calor,  
qui præexistit in subjecto: alias realis educatio  
esset otiosa, quia actum ageret. Ergo edu-  
citur nova pars caloris. Sed non omnino simili-  
lis, ac homogenea, ex dictis; ergo heteroge-  
nea. Aristotelis igitur loco citato intentum  
fuit, afferere: nihil addi de novo calido; quia  
in intentione manet idem subjectum; debetq;  
eadem subjecti pars fieri magis calida, qua  
ante erat minus calida; ut explicat S. Thomas  
in 4. Physic. L. 9. Ratio ulterior est: quia  
concreta non multiplicantur multiplicatis  
formis, sed subjectis. Sic non sunt plures pa-  
rietes albi, si idem paries recipiat plures albe-  
dines. & Aristoteles ipse docuit, non fieri plu-  
res scientes; si idem homo recipiat plures Sci-  
entias.

Urgebis, Aristoteles in Prædicamentis c. de  
Qualitate ait: *concreta suscipere magis, & mi-*  
*nus: non abstracta;* ergo, &c. Resp: Aristo-  
telem tantum innuere, quod non fiat intensio  
qualitatis extra subjectum, & secundum se  
est enim intensio ex definitione sua: *productus*  
*qualita-*

gradus heterogenei. 197  
qualitatis perfectioris in eadem parte subjecti.  
intenditur ergo concretum, sed ratione formæ,  
cujus perfectior gradus, ac pars, educitur è  
potentia subjecti.

Et nonne ibidem Aristoteles dixit: solas  
qualitates suscipere magis ac minus? ergo  
censuit concreta ratione formæ intendi; non  
ratione subjecti aucti.

Objicies secundò. S. Thomas quæstione  
1. de Veritate. a. 11. inquit: *sicut corpus, quod*  
*movetur ad quantitatem perfectam, dicitur aue-*  
*geri; & ipsa quantitas perfecta dicitur magna*  
*respectu imperfecta: ita illud, quod movetur de*  
*qualitate imperfecta ad perfectam, dicitur aue-*  
*geri (id est: intendi) secundum qualitatem; &*  
*ipsa qualitas perfecta, dicitur magna respectu*  
*imperfecta; adeoque qualitas fit major per illud,*  
*per quod fit perfectior.* Atqui fit perfectior per  
majorem radicationem; ergo. Min. prob: ex  
codem S. Doctore cit: *uniuersusque rei perfe-*  
*tio, est bonitas ejus; ideo S. Augustinus dicit:*  
*quod in his, qua non magna moleunt, idem est*  
*esse maius, quod melius.* ergo qualitas per id fit  
perfectior, per quod acquirit melius esse. At-  
qui acquirit melius esse per radicationem, &  
firmitionem inherentiam; ergo. Min: tursum  
prob: qualitatis bonum est inesse; ergo quanto  
firmius inest subjecto, tanto convenientius ha-

bet esse; & quantum magis radicatur in subje-  
cto, ut difficultius expelli possit, tantum eadem  
qualitas habet esse melius, & sibi convenien-  
tius. Resp: S. Thomam maximè nobis cita-  
tò locò favere. docet enim ibidem per hoc  
formaliter qualitatem intendi: quod subjectum  
de actu imperfecto moveatur ad actum  
perfectum ejusdem qualitatis; ergo per hoc for-  
maliter sit intensio, quod actus perfectior re-  
cipiatur in subjecto, actu imperfecto jam an-  
tē actuato. Ergo ille terminus, qui vi intensio-  
nis ab agente reali producitur, est actus  
perfectior, quam fuerit præexistens in subje-  
cto. In forma Dist. Min. per radicationem,  
quæ significat perfectioris gradus productio-  
nem Con. Min. quæ præcise, & tantum di-  
cat firmorem inhærentiam, quæ talē N. M.  
Ostendit enim suprà, quod non posset magis ac  
magis inhætere eadem qualitas, & perfectius  
ac perfectius comunicare suum effectum for-  
malem primarium; si foret entitativè indivi-  
sibilis, & si non accederet aliquid majoris per-  
fectionis gradualis, ex parte ipsius formæ. Un-  
de ad prob. ulteri. N. Suppositum: quod pos-  
sit magis inhætere, firmius inesse, &c. eidem  
subjecto; nisi & ipsa entitas qualitatis, e.g.  
caloris, angeatur, & magis à superveniente  
perfectiori calore perficiatur. Subjectum e-  
nim est in potentia ad majorem calorem. Er-  
go sub-

go subjectum, quæ tale, tantum dicit perfe-  
ctibilitatem. Ergo subjectum formaliter non  
potest magis perficere calorem sibi inhæren-  
tem; potentia enim, ex ratione potentiae, di-  
cit imperfectionem, perfectibilitatem, &c. Estq;  
implicatio in terminis, ut illud, quod est per-  
fectibile, ac potentia, formaliter perficiat; sed  
illud formaliter perficit, quod actus est. Ergo  
nisi actus plus acquirat perfectionis activæ,  
seu plus perfectivitatis; nunquam e.g. calor  
subjecto inhærens fit perfectior. Atqui à per-  
fectibili, quæ tali, formaliter nequit acquirere  
plus perfectivitatis; ergo ab aliquo actu perfe-  
ctiore superaddito acquirit; ergo, &c.

Urgebis. Calore g. majorem perfectivi-  
tatem acquirit efficienter ab agente intensionis  
productivo: & subjectivè ab illo, cui inhæret;  
si nempe illud melius adaptetur per remotio-  
nem contrarij, &c. Resp. N.C. Subsumo enim:  
Atqui implicat, ut majorem perfectivitatem  
ab agente reali acquirat, eamque magis sub-  
jecto communicet; si calor sit indivisibilis, &  
nisi illud agens aliquid amplius de entitate ca-  
loris producat. Remotio contrarij, v.g. fri-  
goris, formaliter fit per ipsum calorem; estq;  
illa remotio effectus caloris. Ergo nisi cal-  
or augeatur, non plus de contrario remove-  
bit, quam antē. Idem enim, manens idem,  
semper est aptum facere idem, ex Aristotele, ac

Replicabis. Juxta S. Thomam 1. 2. q. 12. a. 2. causa agens facit quidem semper aliquid in subiecto, non autem novam formam; sed facit, ut subiectum perfectius participet formam praexistentem; ergo, &c. Resp: S. Thom: tantum negare: quod addatur forma nova, vel quoad essentiam, ut explicat P. Suarez; vel nova, id est: numero adaequato, & completo, a priore distincta, ut exponit P. Pennafiel. nisi enim sic explicaretur S. Doctor: a. pertè contradiceretur textibus, pro Conclusio- ne allatis.

Sed neque nos dicimus: intensionem e. g. caloris, fieri per additionem novæ formæ: quia admittimus tantum additionem novi gradus, & partis integralis ejusdem formæ, e. g. caloris. Ecquomodo enim subiectum perfectius participaret formam praexistentem, ni- si aliquid majoris perfectivitatis illi formæ ac- cederet?

Objicies tertio. Eadem indivisibilis anima rationalis potest se magis vel minus communi- carere subiecto, propter solam majorem aut minorem dispositionem subiecti, licet non ha- beat partes graduales. Ergo etiam calor po- terit se magis aut minus communicare, licet non habeat partes graduales. Resp: hanc ipsam instantiam esse pro nobis. Infero enim ex il-

la: cr-

la: ergo non quæcunque major radicatio for- mæ in subiecto est formaliter intensio. Ergo intendi, est formam magis radicari per edu- citionem perfectiorum partium, ac graduum ejusdem formæ, in eadem parte subiecti. De- indē: sicut anima rationalis, quia entitativè in- divisibilis est, non potest magis aut minus communicare subiecto effectum suum forma- lem primarium, qui est: *constituere hominem* (non enim vir est magis homo, quam puer) ita etiam calor e. g. si est entitativè indivisibi- lis, non poterit magis aut minus communi- care effectum suum formalem primarium, qui est: *constituere calidum*. Ergo idem calor enti- tativè indivisibilis, non poterit subiectum co- stituere, jam magis, jam minus calidum; ergo, &c. In forma Dist. Cons. argumenti: & hoc supposito non foret magis intensus C. & foret intensus N. Cons. Assignent etiam Adversa- ri rationem: quare non possit intendi quanti- tas? cum tamen etiam quantitas magis se communicet subiecto; quia præter effectum formalem primarium, communicat illi effe- ctus secundarios, e. g. æqualitatis, &c.

Objicies quartio. Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. & ideo cogni- tio, aut visio, unita lapidi, non reddit cognoscentem, videntem, &c. Secùs vero unita intel- lectui, oculo, &c. ergo etiam eadem indivi-

sibilis qualitas, e. g. calor, nullâ in ipso factâ additione, formaliter faciet subjectum magis calidum, si illud capacius sit; & minûs calidum, si incapacius, &c. ergo. Resp. cognitionem, visionem, &c. non posse produci in lapide: cùm sint actus vitâles. admitto etiam præter entitatem formæ, requiri capacitatem subjecti, ut actu communicetur effectus formalis. sed N. Conf. Disparitas est primò: quia cognitio unita oculo, est forma, quâ se potest communicare oculo. si verò qualitas esset entitatè indivisibilis, non esset forma, quæ se magis posset communicare; quia posse se magis, posse se minûs communicate, quo ad effectum formalem primarium, non convenit formis entitatè vè indivisibilibus. secundò: quia aliàs sequeretur, quod etiam anima rationalis, quantitas, &c. si communicentur subjecto capaciori, facerent magis hominem, magis quantum, &c. Atqui formæ substantiales, & quantitas, non suscipiunt magis & minûs; ergo ly magis non provenit formaliter, præcisè à majori capacitate subjecti; sed etiam ab augmento formæ intensivo, ac graduali, in eadem parte subjecti. tertio: quidquid recipitur, communicat effectus secundarios, plus vel minûs, juxta dispositionem subjecti; quia hi non sunt adæquatè idem cum entitate formæ: proveniunt enim inadæquatè à va-

ria dispositione subjecti. effectus verò formæ primarii, est adæquatè idem realiter cum entitate formæ, subjecto unitæ: ad illum enim non requiruntur dispositiones superadditæ subjecto, secundum se capaci; alias datur processus in infinitum, nam illæ dispositiones essent formæ; ergo rursus deberet subjectum pro illis aptari per alias & alias dispositiones; & sic in infinitum, ergo, &c.

Objicies quintò. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis. Atqui per hoc, quod forma, seu actus intensibilis, simpliciter inhæreat potentiae, potentia simpliciter reducitur in actum; ergo etiam per hoc, quod forma, seu actus intensibilis, inhæreat magis potentiae, eadem potentia reducitur magis in actum. Ergo per hoc, quod e.g. idem numero calor, magis inhæreat subjecto, formaliter fiet magis calidum. Ergo intensio formaliter consistit in majori radicatione. Resp: Dist. Min. si ly inhæreat appellat supra ipsum actum inhærentem ut quod C. si appelleat præcisè supra inhærentiam, & unionem ut quo N. Min: Dist. similiter Con. si ly magis inhæreat, significet augmentum ipsius actus inhærentis Con. si denotet præcisè augmentum unionis ut quo N. Con. & Illat: Implicat augeri unionem, & inhæsionem qualitatis, nisi augeatur etiam ipsa entitas qualitatis;

tatis; ut probavi nuper, unio enim est educio; & subjectum inheretionis est illud, in, & ex quo forma educitur. Ergo formam *magis inherere subjecto*, est illam magis in, & ex subjecto educi. Ergo implicat augeri inheretionem formæ; nisi augeatur etiam ipsa entitas formæ, illa namque educio nova, aliquid de novo in serum natura ponit.

Certè: si intensio formaliter esset præcisus firmior unio, ac hæc qualitatis, sequeretur: quod calor minus intensus, sit magis intensus formaliter; quæ est implicantia in terminis. Seq: prob: quia longè firmius inhæret calor minus intensus, quam summè intensus: calor enim summè intensus, facilius amittitur ex subjecto, quam remissè intensus. constat namque, quod remoto calefaciente, subjectum, e. g. aqua, citissime desinat esse calida in summo; diutius vero maneat tepida, seu remissè calida. Ergo caloris remissi esset firmior unio, quam intensi. Ergo si intensio formaliter est firmior unio qualitatis ad subjectum, calor minus intensus, erit magis intensus.

Objicies sexto. Idem color perfectius tingit sericum, quam e. g. stupam, præcisè ideo: quia sericum est subjectum capacius, quam stupa. Ergo etiam idem calor per hoc præcisè intendetur, quod subjectum fiat capa-

cius,

cius. Resp: N. A. propter ly præcisè; non enim nego subjecti capacitatem conferre aliquid subjectivè ad intentionem; sed nego formaliter, & præcisè per hoc intentionem fieri, quod subjecti capacitas major accedat: quod enim sericum sæpius colore tingitur, eò fit coloratum magis. sic etiam, nisi supponatur perfectior e. g. calor educi è subjecto capaciore; neque subjectum illud unquam fiet intensius calidum; neque calor illam capacitatem magis actuabit, ut patet ex antè dictis.

Objicies septimo. Qualitas non est divisibilis, nisi ratione quantitatis, & secundum quantitatatem. ergo non habet divisionem partium, quoad entitatem suam, nisi secundum quod est in diversis partibus quantis. Atqui qualitas, posita in diversis partibus quantis, non facit intentionem, sed extensionem; cum intensio debeat esse in eadem parte subjecti. Ergo qualitas non potest facere intentionem, per plures partes distinctas, ergo, &c. Resp: Distin. A. Qualitas non est divisibilis extensivè C. A. intensivè, & in partes intensivas, seu gradus N. A. Dist. similiter Cons. & N. Cons. ut qualitas habeat partem extra partem in subjecto extensam; hoc formaliter accipit per quantitatem, cui unitur. Sed ipsa qualitas materialis, secundum se dicit divisibilitatem intensivam.

Objicies octavò. Impossibile est, ut intendatur forma in subiecto , propterea , quod superveniat illi forma diversæ rationis. Atqui gradus heterogenei sunt formæ diversæ rationis ; ergo impossibile est, ut unus ab altero intendatur , in eadem ratione formæ . Maj. prob: quia talis additio , vel subtræctio , speciem variaret ; sicut variatur species coloris , quando de pallido sit album , inquit S. Thom: 1. 2. q. 12. a. 2. Atqui variando speciem qualitatis , non intenderet eam speciem , quæ fuerat remissa ; ergo , &c. Min. prob: quia si addetur nova species , seu ratio , destrueretur prior species ; quemadmodum mutatur , & destruitur essentia numeri , additâ unitate : & essentia trianguli , additô unô angulô . Resp: Dist. Maj. quod superveniat forma diversæ rationis in essentia specifica formæ , e. g. caloris simpliciter C. diversæ rationis in perfectione graduali , & integrali ejusdem formæ N. Maj. Dist. similiter Min. sunt formæ diversæ rationis , in perfectione graduali , & quoad augmentum intensivum C. in essentia specifica formæ , e. g. caloris N. Min: & N. C. sub eadem Distinctione. gradus e. g. caloris ut octo , non differt à gradu primo in ratione caloris : sed in ratione calori adjuncta ; nempe in ratione augmenti intensivi. sic sphæra magna , & sphæra parva , sunt heterogeneæ ; non in ratione sphæ.

sphæræ : cum utriusque figura sit sphæricitas ; sed in ratione magnitudinis , & parvitudinis . sic linea longa & brevis , sunt heterogeneæ ; non in ratione linea ; sed in ratione longitudinis , & brevitatis . sic quinque homines , à tribus specie differunt ; non in ratione humanitatis ; sed ratione numeri diversi , &c. ita quoque calor ut octo , est dissimilis calori ut unum ; non in ratione caloris , forma , qualitatis , &c. sed in ratione intensionis , ac remissionis ; hoc est : secundum perfectionem majorem , aut minorum graduum , aut partium. magis autem & minus ( eidem entitati additum ) non variat speciem , ut docet Axioma Aristotelis ; ergo , &c. Sed in quo consistit illa dissimilitudo , vel heterogeneitas gradualis ? R. in majori vel minori perfectione integrali ; quod nempe subiectum cum gradu caloris ut unum , sit in potentia ad perfectiorem gradum caloris : non item cum gradu ut octo ; adeoque inferior respectu superioris gradus , habet se ut potentia ad actum ; sicut perfectibile ad perfectionem integralem.

Objicies nondò. Gradus secundus est perfectior , quam primus , &c. est enim altioris speciei quoad intensionem ; adeoque continet eminenter priorem : & potest effectus illius in subiecto formaliter præstare. Inductione autem patet : quod veniente in subiectum formâ perfectiore , cedat imperfecta . sic veniente

ente animâ rationali, abscedit forma embryonis: veniente formâ mixti, cedunt formæ Elementares, &c. ergo imperfectior gradus debet petere, dum advenit perfectior. ergo hæc Sententia consentit Durando, qui in 1. Distin. 17. q. 7. docuerat : intensioem formaliter fieri per destructionem formæ imperfectioris, & productionem perfectioris. Resp: Dist. alteram part: discursus. Inductione patet: quod veniente formâ perfectâ, abscedat imperfecta; si imperfecta dicat essentialiter privationem perfectæ; nec sit requisita actus ex parte subjecti, ut illud possit recipere formam perfectam Con. A. secùs N.A. & C. Ubi breviter NB. sunt aliquæ formæ, quæ essentialiter, & ex definitione sua, sunt in actu imperfecto; habentque essentialiter annexam privationem actus perfecti. Sic forma *equi*, essentialiter habet annexam privationem formæ *rationalis*; forma *vialis*, ex definitione sua dicit absentiam formæ perfectæ, ad quam est *vialis*, ac *prævia*, &c. & tales non possunt manere veniente actu perfecto. Aliæ sunt, quæ per accidens sunt in actu imperfecto, quibusque accidit habere annexam privationem actus perfecti. sic e. g. formæ plantæ, hominis, &c. accidit, quod sine adhuc in actu imperfecto magnitudinis, staturæ. & tales formæ manent veniente actu perfecto; cujus sunt quædam

quædam inchoatio. manet enim prior extensio plantæ, staturæ hominis, dum magnitudo perfectior accedit; illique existenti adjungitur, velut complementum inchoato. vide S. Thomam 1. 2. q. 63. a. 3.

Objicies decimò. Alteratio est motus continuus; atq[ue] intensio est species alterationis; ergo, &c. Sed si gradus essent heterogenei; intensio non esset motus continuus: quia haberet terminos distinctos; ergo, &c. Resp: N. Seq: Subsumpti. Ad prob: Dist. A. haberet terminos inadæquate, & secundum quid distinctos C. A. adæquate, & similiter distinctos N. A. Intensio tantum habet terminos distinctos in ratione graduum; quia tamen unus alteri unitur, non sunt termini distincti in ratione continuæ. sic etiam in materia, & anima rationali, licet sint duæ distinctæ partes, constituant tamen unum numero hominem; quia inter se uniuntur ut potentia, & actus.

Objicies undecimò. Si Divinitus ponetur in subiecto secundus gradus sicut primo; vel ille faceret subiectum calidum ut duo, vel non, si non? ergo contra suppositum non est calor ut duo: quia calor ut duo essentialiter potest subiectum reddere calidum ut duo. si ita? ergo primus gradus semper est superfluous. Nam ponamus addi deinde calorem ut unum; vel ille gradus ut unum augebit calorem ut duo,

adeoque

ad eoque faciet calidum *ut tria*; ergo præstat idem, quod tertius; ergo tertius non est perfectior primo, vel non augebit calorem *ut duo*; ergo calor *ut unum nihil* præstat in subjecto; ergo est semper superfluous præsente calore *ut duo*, &c. Resp-tali casu, si calor *ut unum adjugetur*, non fieret subjectum calidum *ut tria*. Sed N. C. quā infertur: quōd es-  
set superfluous; disponeret enim, & connaturaliter adaptaret subjectum pro calore *ut duo*, &c. Sicut, licet Divinitus uniretur forma materiæ, sīne dispositionibus prævijs; si tamen dein illæ dispositiones ponerentur, non essent superfluae: quia connaturaliter adaptarent materiam pro illa forma, e. g. leonis, &c. susten-  
tanda.

Objicies duodecimò. Ex heterogeneitate graduum sequitur: per actum remissum, e.g. Charitatis, hominem plus mereti, quām per intensum. si enim peccator in Sacramento Pœnitentiæ, eliciat actum Charitatis *ut sex*; merebitur augmentum Gratiae *ut sex* e. g. si dein justificatus eliciat actum Charitatis *ut unum*; merebitur augmentum Gratiae; ergo septimum gradum. Atqui septimus gradus Gratiae est perfectior, quām sextus, &c. ergo majus præmium dabitur minori merito; quod videtur esse contra Sapientiam præmiantis. Resp: Dist. Seq: primi Aut. ceteris

(qua-

(quaꝝ ad augmentum meriti conferunt) imparibus Con. Seq: cæteris paribus N. Seq: Desum rationem ex doctrina P. Suati Tom. I. in 3. p. D. 4. S. 4. quia meritum à Sapientibus non spectatur primariò ex intensione actus; sed ex dignitate personæ merentis. Sic etiam leve obsequium à Rege præstitum, pluris aestimatur apud Politicos, quām operosissimum à rustico exhibitum; quōd autem persona plus habet Gratiae, eò est dignior: cum Gratia dignificet animam; cui illa inexsistit. Ergo dignior merens, sapienter majore præmio affectur; licet actus meritorius in se esset remissor, quām actus indignioris. Et ideo quadvis opus meritorium Christi Domini, quantumcunque fuerit remissum, valoris in ordine ad præmium fuit simpliciter infiniti, propter personæ operantis dignitatem. Itèm ex eadem ratione B. Virgo majore præmio affecta fuit à DEO, quām omnes cæteri sancti Cælites; quia nempe Beata Virgo à conceptionis suæ instanti maximè significata fuit, per infusam copiosè Gratiam,

&amp;c.





## THESES VIII.

**Simile non potest agere in similiter intensem, illud magis intendendo.**

Ità Aristoteles. I. 1. de Generat. t. 48. & sequentibus. S. Thom. ibidem. P. Suarez D. 18. Metaph. S. 9. PP. Conimbr. in I. de Gener. c. 9. q. 2. n. 1. 2. & 3. P. Comptonus. D. 10. de Generat. S. 4. & 5.

## §. I.

Probatur nostra Conclusio.

PRIMÒ. Quia nemo dat, quod non habet, vel formaliter, vel virtualiter; ergo agens, quod non habet formaliter, nec virtualiter, ac eminenter, gradum intensiorem: non potest alteri dare gradum intensiorem; ergo non potest agendo in passum, similiter intensem, illud magis intendere.

Probatur secundò. Agens univocum agit in passum, ut sibi illud vi actionis assimile, quantum potest, in eo actu, secundum quem agit; ut dicit Aristoteles hic. t. 51. ergo si passum

passum jam sit in eo actu assimilatum, non ultra in illud per intensionem agit: obtentò enim fine, frustrà ponuntur media ad illum finem obtainendum; & possestò terminò, frustrà fieret motus ad terminum consequendum. Atqui natura nihil agit frustrà, & casò fine; ergo, &c.

Probatur tertiod. & Confirmatur primò. Si ageret simile in similiter intensem; vñ illius intensiōis redderet illud sibi dissimile: quia faceret illud perfectius, quoad intensionem; ergo esset agens univocum, & non esset.

Confirmatur secundò. Juxta Aristotelem I. de Gener. c. 9. 3. Phys. t. 17. ac D. Thomam multis locis: unumquodque agit, in quantum est in actu, secundūm quem agit: & passum patitur, quantum est in potentia ad eundem actum, secundūm quem agens operatur. Ergo si passum jam sit in simili actu, secundūm quem operatur agens; frustranea erit operatio.

Confirmatur tertiod. Sicut simile posset agere, ac intendere sibi simile; ità posset intendere seipsum. Atqui seipsum intendere non potest; quia aliás sāpe corrumperet seipsum, e.g. aqua calida n̄t quatuor, intendendo seipsum usque ad octavum gradum, exigeret vñ caloris in summo formam, cuius calor n̄t oīe est proprietas. ergo exigeret formam ignis. ergo

ergo corruptionem sui ipsius. Sequela Maj. prob. ad hoc, ut aliquid possit agere, nihil requiritur, nisi virtus sufficiens ad agendum; & potentia passiva, capax illius actionis. Atqui si e. g. calidum ut quatuor haberet virtutem intendendi simile, haberet virtutem sufficiem ad producendum calorem ut quinque, &c. cuius gradus intensivi ipsum capax est; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Duo vitra æqualiter dura, in se impacta, confringuntur ergo unum frangit alterum. ergo simile agit in simile. Resp. Dist. Cons. ergo unum frangit alterum, ratione motus, ac impulsus contrarij, quō unum moveatur contra alterum C. ratione duritiae similiter intensæ N. C. & Illat. Motus tali casu, est causa fractionis; sive unum vitrum moveatur contra alterum quiescens, sive motu opposito allatum. Atqui nec motus, suo opposito motui; nec motus quieti est similis sed potius contrarius; ergo, &c.

Objicies secundò. Duæ manus æqualiter calidæ, confictu sui incalescunt magis; ergo. Resp. Dist. A. incalescunt magis ratione motus, qui intervenit in confictu C. A. incalescunt magis, ratione caloris, ab una in altera incaſi

intensi N. A. & C. unus autem motus non est similis alteri, sed contrarius propter terminos oppositos; quia unus tendit sursum, alter descendit; unus hic, alter illuc.

Urgebis: incalescunt magis nullo interveniente motu, sed solâ quierâ utriusque conjunctione; ergo. Resp. Dist. Ant. incalescunt magis indirectè, & per accidens; eò quod una ab altera removet contrarium C. A. directè, & per se; eò quod una in altera producat calorem intensorem N. A. & C. dum una manus alteri adjacet, à uram infrigidantem eâ parte removet, & spiritus calidiores, ad extremam cutem diffusos, continet, &c. atque ita singulæ incalescunt magis à principio sibi intrinseco; nimis à calore singularis inhærente.

Objicies tertio. Plures simul plenò chorò canentes, intendunt se mutuò; una fax addita alteri, intendit lucem alterius; ergo, &c. R. N. A. Sed constituant usam causam totalem talis effectus, nihil in se invicem producendo. sic plures equi constituant unam causam totalem fortioris tractionis; plures lapides causam totalem majoris gravitatis, &c. & tamen nec unus equus auget vites inter se alterius; nec unus lapis gravitatem alteri intrinsecam.

Objicies quartò. Vinum aquæ frigide immersum, fit frigidius, quam ipsa aqua; ergo frigus aquæ, intendit frigus vini: non tantum ad su-

ad similitudinem gradus; sed usque ad gradum intensiorem. Resp. N. A. sed licet frigus in vino sit tantum æqualiter intensum, & in aqua; quia tamen vinum magis, quam aqua, spiritosum, & acre est; idcirco citius fœse in poros lingua paulatim insiuat. adeo que frigus viui profundiū penetrat, ut sensum magis afficiat, ac inde putetur esse frigidus. Sicut enim plumbum e. g. cuspidatum, licet sit ejusdem gravitatis cum lamina, velocius tamen in aqua mergitur illud: quia propter figuram, gravitati annexam, aptius est ad aquam dividendam.

Urgebis. Sed hoc dici non potest de lagena statnea vini contentiva, quæ etiam magis frigida sit, quam sit aqua infrigidans; ergo. R. N. A. non enim sit frigidior lagena, quam sit aqua; sed quia statnum densius est, quam aqua, habet vim celestius, & extensivè magis afficiendi tactum, secundum plures partes tangentis; non autem habet vim intensivè maiorem, quam aqua, propter rationes Conclusionis.

Objicies quintò. Plures carbones æquilateri calidi, sibi invicem conjuncti, intendunt se usque ad flammarum; ergo, &c. Resp. N. A. non enim unus intendit calorem alterius; sed si unus sit ignitus, & alteri conjungatur à parte, quā ille ignitus non est, igitur ipsum;

&amp; sic

& sic facit flammarum extensivè majorem: si verò undique & qualiter igniti sint omnes, per conjunctionem constituent unam causam totalem respectu flammarum extensioris, in tertio productæ.

Objic. sextò. Flama candelæ A. videtur per flammarum candelæ B; ergo cedula A. lumen suum trajicit per candelam B; ergo lux A. additur luci B; ergo illam intendit. Resp: hoc argumentum probaret etiam minus intensa luce posse intendi lucem gradus perfectionis; quod aperte fallum est. quia nemo dat, quod non haberet, vel formaliter, vel eminenter. In forma N. primam Cons. non lux trajicitur, sed species visualis, seu optica lucis, cui proprium est transire per medium illuminatum. illa autem species lucis vicaria, seu lux intensionalis, non prius existit in luce B. physica; ergo simile non agit in simile. Deinde: licet lux B. trajiceretur per lucem A. non intendetur illam, sed constituerent unam causam totalem extensiorem, ut lucem in pluribus partibus aëris producerent; ergo necdum simile ageret in simile.

Objicies septimò. Agens necessarium, approximatum passo, necessarium agit. Atqui calidum est agens necessarium, & potest debite approximari passo; ergo, &c. Resp: D. Maj:

K

appro-

approximatum passo capaci actionis recipien-  
dæ C. Maj. approximatum passo, seu subje-  
cto incapaci actionis recipiendæ N. Maj. Dist.  
similitet Min: & N. C. nec agens habet virtu-  
tem actiyan ad majorem intensionem, quām  
ipsum habeat; nec passum habet potentiam  
passivam ad actionem à simili recipiendam;  
quia jam aliunde habet totum actum, quem  
in virtute sua continet agens.

Objicies octavò. Agens facilius agit in pas-  
sum, quod habet minus resistentia. sic facili-  
us magis calefit illud, quod est aliquomodo  
calidum, quām quod est frigidum. Atqui  
si passum sit agenti simile, habet minus resi-  
stantiæ; ergo, &c. Resp: hoc argumento rati-  
sum probari, quod subjectum intensum *àt se-  
num*, posset intendere calidum *àt septem*: quia  
in passo calido *àt septem*, minus habebit resi-  
stantiæ. In forma Distin: Maj. quod minus  
habet resistentiæ, tam negativæ, quām posi-  
tivæ Con: Maj: quod quidem minus habet re-  
sistentia positiva, plus tamen habet resis-  
tentia negativa Nego Maj: Dist. similiter Min:  
& N. Con: Resistentia positiva est: quando  
passum habet qualitatem, agenti contrariam;  
e. g. frigus, oppositum calori. resistentia ne-  
gativa est: quando passum non habet quidem  
qualitatem contrariam agenti; non habet ta-  
men potentiam, ut ab agente t educatur in-

tum, seu ut qualitatem ab agente recipiat,  
sic etiam Angelus haber resistentiam negati-  
vam ad calefactionem recipiendam. Atqui  
subjectum jam simile tum in qualitate, tum  
in intensione, non est in potentia, ut aliquid  
accipiat ab agente; nec agens habet virtutem  
ad hoc, ut illi ultrâ aliquid tribuat; quia pas-  
sum supponitur habere totum, quod agens  
dare possit; ergo, &c.

Objicies nonò. Juxta Aristotelem 8. Physi-  
c. t. 8. apud Paraphrasten Maurum. c. 18. n. 4.  
D. Thom: ibidem: major est activitas, & ef-  
ficacia ad calefaciendum, in corpore denso,  
quām in raro. nam & hic virtus unita fortior,  
quām dispersa. Ergo licet duo sint æquali-  
ter calida; si tamen unum sit rarius, alterum  
densius: saltē tunc magis densum, poterit  
rendere minus densum; ergo saltē tali ca-  
su simile agit in simile. Resp: Explico Ari-  
stotelem ac Divum Thomam cum Dist. A.  
major est activitas, & efficacia ad calefacien-  
dum passum capax C. A. passum incapax N.  
A. & C. si passum calefactionis capax sit; ce-  
lerius calefiet à denso, quām ab agente raro:  
non verò intensius, quām ipsum agens sit, li-  
cet fuerit densius. virtus enim unita in corpo-  
re denso, citius vincit resistentiam passi: ubi  
verò passum ad intensionis gradum æqualem  
pervenierit, nihil intensionis majoris seque-  
tur;

tur; ut patet ex rationib<sup>o</sup> Conclusionis. Et ve-  
rò, si discursus Adversarij subsisteret, sequeretur:  
quod e. g. sanguis & vena, caro & ossa ani-  
malis (id est de quibuscumq; subiectis) æqua-  
liter remissè calida, posset se intendere in  
infiniū; vel certè ad summum. adeoque san-  
guis e. g. calidus *ut duo*, posset accendere ve-  
nam. Sequela probatur: vena est densior;  
ergo potest intendere sanguinem ad gradum  
tertium. sanguis verò calidus *ut tria*, potest  
dare gradum tertium caloris venæ calidæ *ut*  
*duo*; cùm vena sit *capax*, ac in potentia ad  
calorem *ut tria*. vena calida *ut tria*, quia ad-  
huc est densior quam sanguis, poterit rursus  
sanguinem calefacere *ut quartuor*. sanguis ve-  
rò poterit vicissim in vena producere quar-  
tum gradum caloris; & sic deinceps, usque ad  
octavum.

Dices: non ita eventurum; quia vena tan-  
tum ager, donec sibi assimiler sanguinem in  
virtute agendi. ubi verò sanguis fuerit cali-  
dus *ut quinque*, erit assimilatus venæ in virtu-  
te agendi: & sic non poterit agere in venam;  
quæ quia densior est, cum gradibus quatuor  
caloris habet tantam virtutem calefaciendi,  
quam sanguis cum quinque gradibus calo-  
ris; cùm iste sit ratiō: & virtus unita sit for-  
tior, quam dispersa. Sed contrà: ideo e. g. po-  
test vena agere in sanguinem æqualiter cali-  
dum,

dum, quia adhuc sanguis est inæqualis in vir-  
tute agendi. At qui ubi sanguis fuerit æqua-  
lis in virtute agendi, adhuc vena est inæqua-  
lis, & dissimilis in intentione caloris; ergo  
adhuc sanguis poterit agere in venam; ergo  
stat vis argumenti.

Objicies decimò. Ferrum calidum, licet  
candens non sit, accedit stupam; ergo fer-  
rum producit plures gradus caloris, quam i-  
psum habeat. Ergo corpus densius, est ma-  
gis, ac fortius activum. Ergo hoc Axioma:  
*Simile non agit in simile*, non est universaliter  
verum; sed intelligendum est cæteris paribus.  
Resp: Distr: Ant: accedit stupam ratione cor-  
pusculorum igneorum, & scintillarum intrà  
poros latentium Con: Ant. ratione caloris mi-  
nus intensi, quam ferrum in substantia sua ha-  
beat N. A. & C. quod autem tenuissimæ ignis  
particulae lateant in poris, patet tum ex eo:  
quod, ubi ferrum desierit igniri, maneat cru-  
stula quædam, velut carbo restinctus; aut  
velut cinis viscōlo humore afforis agglutina-  
tus. tum etiam inde: quia ferrum porosum  
est, cùm aquam, oleum, argentum vivum,  
&c. superfusum imbibat; adeoque materia vi-  
scosa, illuc latens, ad tenuiora ignis corpuscula  
in se detinenda est idonea. Sed quare substantia  
fieri non vertitur in ignem, ut stupa; cùm tamē  
eadem corpuscula in se contineat, quæ stu-  
pam

222 Raritas est magna dimensio,  
pam accedunt? Resp: defectu aliarum dis-  
positionum; nempe raritatis, siccitatis, &c.



## THEISIS IX.

Raritas formaliter est magna  
dimensio modicæ quantitatis physicæ;  
densitas verò modica dimensio multæ quan-  
titatis physicæ; adeoque raritas, & densitas,  
sunt effectus formales secundarij quantitatis  
physicæ: determinantes corpus ad hauc,  
vel illam extensionem localem.

*Colligitur ex Aristotele 4. Phys. t. 84.  
D. Thoma. ibidem. & 2. de Gen. Lect. 7. iii  
PP. Conimbr. in 1. de Gener. cap. 5.*

q. 17. a. 1.

§. I.

*Improbantur aliorum Sententia.*

**D**ico primò. Rarefactio non sit formaliter  
per intromissionem intrà poros: neque  
condensatio per emissionem corpusculorum ei-  
poris; ut docent Nominales. Probatur: et  
dem est materia raritatis, & densitatis; tum  
quia

modica quantitatis. 223  
quia Aristoteles. 4. Physic. t. 84. de raro &  
denso loquens, ait: *est enim corporis materia,*  
*& magni, & parvi, eadem;* tum quia raritas  
& densitas, sunt contraria; atqui contraria sunt  
circa eandem materiam: pugnant enim de sub-  
jecto; ergo, &c. Sublamo: Atqui si rarefactio  
ficeret per intromissionem novorum: & con-  
densatio per emissionem veterum corpuscu-  
rum; tunc non esset eadem materia raritatis,  
& densitatis; quia accederent nova corpuscu-  
la, quæ spatium majus occuparent: & vetera  
recederent, quibus autem spatium minus imple-  
batur; ergo, &c.

Confirmatur. Non omnia, quæ rarefiunt,  
sunt porosa. patet in aëre; qui Thermosco-  
pio, vel alio vase vitro, &c. hermetice clau-  
sus; ita, ut nulla corpuscula extranea subin-  
trare: nulla evolare possint; jam plus, jam mi-  
nus spatijs occupat; adeoque rarescit, & con-  
densatur. patet in pulvere pyrio; qui intrà fi-  
stulam æneam accensus rarescit, nullo patente  
poro, per quem tantâ celeritate corpuscula sub-  
intrare possint.

Neque dicas: corpuscula celeriter subin-  
trare, ob periculum vacui, per foramellum  
igniarium; impediuntur enim per ignem un-  
dique erumpentem. Et hoc effugium inter-  
cluditur in alijs bombardis, recenter inventis;  
quæ solo aëre condensato onerantur, &c. patet

224 Raritas est magna dimensio,  
quoque in aqua, late, &c. quæ tunc, dum  
rarefiunt & ebulliunt, maximam potius cor-  
pusculorum copiam emittunt, ipso teste oculi:  
qui evaporationes instar fumi percipit;  
ergo, &c.

Dico secundò. Rarefactio non consistit  
formaliter in elatebratione, seu quadam evolu-  
tione partium: neque condensatio in illatebra-  
tione, seu quadam partium iuter se penetratio-  
ne, ut volunt Lovanienses; qui docent, e.g.  
aërem condensari per hoc, quod una ejus me-  
diatas penetretur cum altera: rarefieri vero  
formaliter per hoc, quod medietas una, velu-  
ti è latebris alterius egrediatur. Probatur  
Conclusio. Principium apud Philosophos Ati-  
stotelicos evidens est: quod unum corpus  
quantum, non possit penetrari cum altero,  
sed quod penetrabilitas naturaliter solis spi-  
ritibus conveniat; ergo, &c. Commune effu-  
gium Adversariorum est: quod unum corpus  
quantum possit penetrari cum altero inad-  
quac e.g. non autem adæquatè.

Sed Urgeo argumentum. Poteſt e.g. pal-  
mus ceræ in condensatione penetrari ad dimi-  
dium palmum, constringente e.g. frigore ut  
quatuor. ergo constringente frigore ut octo,  
poterit penetrari totaliter. admissa enim le-  
mel penetrabilitate, ſicut ſe habuit simplicitet;  
ad simpliciter ita ſe habebit magis admagis.

Ind

modica quantitatè. 223  
Imò admissa penetratione inadæquatâ, ſequen-  
tur etiam penetratio adæquata; nam ſi pars,  
e.g. ceræ penetratæ, dividatur à non pene-  
trata; certum eſt fore penetrationem adæqua-  
tam.

Contrà secundò. Palmus e.g. ceræ per con-  
denſationem poterit penetrari ad dimidium;  
ergo dimidius ad quadrantem; ergo agentibus  
proportionaliter causis, quadrans tandem con-  
denſabitur integrè. Atqui penetratio natu-  
raliter dati non potest; ergo, &c.

Contrà tertio. Non potest corpus reale,  
etiam dimidium ( saltè naturaliter ) replica-  
ri, & eſſe in duobus locis; ergo nec potest na-  
turaliter etiam unum dimidium penetrare al-  
terum.

Dico tertio. Rarefactio non consistit for-  
maliter in majori extenſione actuali, ejusdem  
corporis, quoad locum; ut voluit P. Compto-  
nus. D. 12. hic S. 4.

Probatur primò. Sanguis Christi in SS.  
Eucharistia, eſt rario: quam Caro, Oſſa que  
Illiſ. Atqui Sanguis Christi non eſt forma-  
litate extensus ad majorem locum circumſcri-  
pitum; ut docet, & probat S. Thomas. 3. p.  
q. 75. a. 2. Ergo, &c.

Prob: ſec. Unus palmus aëris eſt rario, quā  
unus palmus terræ; & tamē unus palmus aëris

K 5

non

non est extensis, quām palmus terræ: occupant enim ambo æquale spatiū loci, ergo rarefactio non est formaliter extensio ad majorem locum; licet hæc ad rarefactionem plerumque consequatur.

Probatur tertio. Motus rarefactionis differt à motu locali, seu lationis. Atqui non different, si raritas formaliter consisteret in etiā occupatione majoris loci; ergo, &c.

Dico quartò. Raritas & densitas, non sunt qualitates *speciales*, à substantia & quantitate realiter distinctæ, iisque realiter superadditæ, ita Aristoteles; qui in *Categor: c. de Qualitate* ait: rarum & densum, quale quid videri; revera tamen non esse. quod ipsum confirmat *I. & Physic. c. 7.*

Probatur primò. In Cælestibus corporibus datur raritas & densitas; ut docet Aristoteles *z. de Cælo*. Atqui in corporibus Cælestibus non dantur qualitates: aut primæ, aut aliae ex primis ortæ, quæ ex natura sua ad generationem, & corruptionem substantialem disponunt: cum sint simplicia, & corruptionis expertia; ergo raritas & densitas, non sunt qualitates tertiae speciei, ex primis ortæ: ad generationem, & corruptionem ex natura sua ordinatae.

Probatur secundò. Datur raritas & densitas etiam in sublunaribus, ubi nulla naturaliter pro-

ter producitur nova qualitas, à substantia, & quantitate, distincta. Ergo raritas non est formaliter qualitas specialis, &c. Ante prob: sèpe corpora rarefunt per solum motum localem. sic rarefit aër in follibus, undiq; clausis, si magnâ vi diducantur; item condensatur, si componantur, &c. Atqui motus localis, per se, & ex natura sua, non est produtivus ullius qualitatis; ergo, &c.

Confirmatur. Si accipiatur vitrum mercuzio ita repletum, ut modicus aër superne eminet, dum emititur inferne mercurius; aër supereminens rarefit, ob periculum vacui. Atqui tunc nulla adest causa producens qualitatem aliquam specialem; ergo, &c.

Probatur tertio. Illud formaliter est raritas, vi cuius idem corpus quantum, formaliter constituit sub majoribus dimensionibus, ut patet ex Aristotele *4. Phys: t. 84.* Atqui qualitas non constituit formaliter sub majoribus dimensionibus quantitativis: hoc enim est quantitati proprium; ergo.

## §. II.

*Explicatur & Probatur nostra Sententia.*

Dico quintò. Ratitas formaliter, est magna dimensio exiguae quantitatis physicæ: densitas vero, parva dimensio multæ quantitatis physicæ, adeoque raritas & densitas, sunt effectus formales *secundarij* quantitatis physicæ, determinantes corpus ad hanc, vel illam

extensionem localem. Antequam Conclusio probetur: explicanda est plenius. igitur

NB. primò. Materia prima secundum se, nec est parum, nec multum; sed id formaliter habet per quantitatem. quantitas vero physica, est forma accidentalis, determinans materiam ad tot, vel tot partes. mathematica quantitas, vocatur formalitas, determinans formaliter quantitatem physicam ad certas dimensiones, longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, ac proinde materia prima, per quantitatem physicam habet, quod sit parum, vel multum; per mathematicam, quod sit sub parvis, aut magnis dimensionibus. Quantitas physica etiam dicitur quantitas ad intrā; eò quod sit formalis positio, ac ordinatio partium, in ordine ad ipsum totum integrandum. quantitas vero mathematica, dicitur quantitas ad extrā; eò quod sit ordinatio, & extensio partium, in ordine ad locum circumscriptivum.

NB. 2.<sup>o</sup> Quantitatem mathematicā distingui à physica plus quam ratione nostrā, conceptum praescientium. potest enim augeri quantitas physica, licet non augeatur mathematica. sic si plures globi plūnibei unum penetraret, multūm augeretur quantitas physica penetrati: & tamen non augeretur quantitas ejus mathematica. dimensiones enim illius

lius manerent eadem. sic etiam homo potest crescere, & extendi ad maiores dimensiones; & tamen non plus ponderare: & vicissim potest plus ponderare; & tamen non magis extendi quoad maiores dimensiones. ergo potest in homine augeri quantitas physica ( quæ optimè per pondus exploratur ) licet non augeatur quantitas mathematica. Distinguitur ergo quantitas mathematica à physica ex natura rei, tanquam nova perfectio, extensiva ejusdem quantitatis, communicata materiae magis adaptatæ. sicut ( proportionaliter loquendo) intensiōē dixi esse novam perfectionem intensivam ejusdem qualitatis.

NB. tertio. Ex Conclusione posita dicitur, rarefactionem formaliter fieri per hoc, quod quantitas physica moveatur à minori dimensione ad majorem; condensatio autem formaliter fit per hoc, quod quantitas physica moveatur à majori dimensione ad minorem. adeoq; subjectum utriusque motus est quantitas physica ( non in abstracto, sed in concreto; prout informat materiam, eique effectum formalem primarium præstat, ponendo partem extra partem ) terminus à quo rarefactionis est minor dimensio: terminus ad quem dimensio major. His prænotatis.

Probatur Conclusio primò. Iste conceptus raritatis, & densitatis, est clarissimus ad men-

230 Raritas est magna dimensio,  
rem Aristotelis 4. Phylic. t. 84. dicentis: ra-  
rum est, quod sub magnis dimensionibus parum  
habet materia: densum, quod sub parvis mul-  
tum. ergo, &c.

Probatur secundò. Per raritatem, & den-  
situdinem, formaliter constituitur unum corpus  
æqualis magnitudinis cum altero; adeoque  
per rarefactionem, & condensationem, va-  
riatur relatio æqualitatis, & inæqualitatis.  
Atqui juxta Aristotelem, & D. Thomam s.  
Met. 15. 4. Phys. 24. 1. de Gener. 74. & a-  
libi passim, *fundamentum proximum* æquali-  
tatis, & inæqualitatis, est quantitas; ergo per  
motum rarefactionis, & condensationis, for-  
maliter variatur quantitas. Sed non variatur  
quantitas physica, ut mox patebit; ergo varia-  
tur quantitas mathematica; ergo, &c.

Constatnatur. Quantitas (non autem qua-  
litas) facit formaliter æquale quoad magnitu-  
dinem; & exigit, ut duo, quæ conveniuntia  
quantitate, exigant coñaturaliter circumscri-  
bi loco æquali. ergo dum per raritatem, aut  
densitudinem, fiunt corpora æqualia quoad ma-  
gnitudinem, non accedit nova qualitas, sed  
tantu nova quantitas. Atqui non accedit no-  
va in ratione quantitatis simpliciter, ac physi-  
cae, ut mox dicam; ergo nova quoad extensi-  
vam perfectionem, seu quoad dimensiones  
ejusdem quantitatis.

Proba-

modica quantitatis.

231

Probatur tertio. Per id formaliter fit cor-  
pus rarum, per quod, & ratione cuius forma-  
liter eadem materia quanta exigit majorem  
locum circumscriptivum, cui commensuretur.  
Atqui ratione quantitatis mathematicæ, seu  
per dimensiones certas, formaliter exigit ma-  
jorem locum circumscriptivum, cui comen-  
suretur; ergo, &c.

Quæres: an in rarefactione aliiquid novæ  
quantitatis physicæ producatur? & in condensa-  
tione aliiquid quantitatis physicæ destrua-  
tur? Resp: Negativè, cum S. Th: 1. 2 q. 52.  
a. 2. & 2. 2 q. 24. a. 5. Probatur: quia ne-  
que per rarefactionem producitur tota nova  
quantitas, totaque vetus destruitur; ut do-  
cuerunt, Pomponatius, Marsilius, & alij.  
Primò: quia quantitas physica non habet  
contrarium; estque coæva materiæ. Se-  
condò: quia in rarefactione deber manere i-  
dem corpus quantum, sub magis dimensio-  
nibus; quod cum densius esset, erat sub par-  
vis; ut constat ex 4. Phys: t. 84. Tertiò: quia  
species Eucharistiae, vini, rarefiunt, & conden-  
santur ab agentibus creatis; ut constat experien-  
tiâ. Atqui ibi non potest produci nova  
quantitas ab agentibus creatis; quantitas enim  
nova generari non potest, cum nulla ibi adsit  
materia, ex qua educeretur. creari etiam ab a-  
gente creato non potest, cum illi nequam  
competat producere ex nihilo; ergo, &c.

Sed

Sed neque in rarefactione nova pars quantitatis physicæ additur; aut in condensatione aliqua demitur; ut docuit Scotus in 4. Dist: 12. q. 4. Primò. quia sic rarefactio non differet ab augmentatione; cuius terminus etiam est major quantitas. Secundò. quia illa pars novæ quantitatis, non potest recipi in eadem materia, in qua vetus quantitas recipitur. sic enim quantitatis partes se se invicem penetrarent; cum tamen quantitas naturaliter sit radix impenetrabilitatis. neque in alia nova materia: quia hæc essentialiter crearetur; quod superat vires agentis creati. Tertiò. quia alias nova pars quantitatis, dum rarefiunt species vini Eucharisticae, crearetur ab agente creato. non enim educeretur ex potentia materiae vini: quia hæc non adest post Consecrationem. neque ex potentia quantitatis prioris: quia sic non excluderetur quantitas; sed pars educta reciperetur in parte, ex qua educitur. sed que cum illa penetraret. actus etenim se penetrat cum potentia, in qua subjectatur; cum illam intimè afficiat.

## §. III.

*solvuntur Objectiones.*

Objicies primò: contra Conclusionem secundam. Impossibile est, constrictiōnem partium concipere sine penetratione, saltē inadæquata; ergo impossibilis est condensatio, si-

tio, sive penetratione: & rarefactio, sive extractione partis extra partem; quæ est formallissima elatebratio. A. prob: lactis e. g. rarefacti, quælibet pars habet suum locum extra alteram; ergo dum condensatur una pars, defert proprio loco, intrat in alteram. C. prob: per condensationem nihil perit de lacte; ergo remanent omnes partes lactis: & occupant minus spatiū; ergo dum condensantur plures partes, occupant eandem partem loci; ergo penetrant se. Resp: N. A. ad prob: N. C. ad hujus prob: Dist. A. per condensationem nihil perit de lacte, quoad quantitatem physicam, & ad intrà C. A. quoad quantitatem mathematicam, & ad extrà; nimur in ordine ad majorem extensionem localem N. A. & C. cum in continuo nulla detur pars minima; quælibet pars recentibus causis rarefactientibus (ad quarum præsentiam partes erant magis extensæ) poterit se in minorem contrahere; atque ita alteri locum cedere, ut se magis conjungere possit. hoc autem fiet sine penetratione, etiam inadæquata; cum una non ingrediatur alteram; ergo, &c.

Objicies secundò: contra Conclusionem tertiam. Ed ipsò, quod e. g. cera liquefacta accipiat majus spatiū, scitur esse rarefacta; ergo rarefactio est motus, ad majus ubi, seu locum majorem. Resp: Dist: A, scitur esse rarefacta

refacta præsuppositivè C. A. formaliter N. A. & C. priùs naturā, quām cera occupet formaliter majorem locum, debet habere majores dimensiones, ratione quarum possit, & exigit occupare majorem locum: eīque ut circumscriptivè commensurari; ergo, &c. Et certè, alijs motus lationis non distingueretur à motu rarefactionis; quia utriusque terminus formalis esset locus, & ubi; ergo melius dicitur: motum rarefactionis esse ad majores quantitatis dimensiones, ratione quarum formaliter exigit esse in majore loco.

Objicies tertid: contra Conclusionem quartam, Aristoteles 7. Physic. t. 11. raritatem & densitatem, expressè numerat inter qualitates sensibiles, ad quas datur motus alterationis; & 2. de part. animal. c. i. inter qualitates, tactui subiectas. D. Thomas etiam in 1. de Gener. L. 13. & 14. de raritate ait: dicendum: quod talis transmutatio non potest propriè dici augmentum; sed alteratio. sit enim secundum transmutationem possibilium qualitatum, rari & densi. Resp: Explico Aristotelem, & S. Thomam, cum Dist: raritas & densitas, vel quoad causam; vel quoad effectum sui, sunt (plerumque) qualitates sensibiles C. A. formaliter, quoad se, & in se N. A. dixit Aristoteles in Categor: c. de Qualitate. n. 6. in paraphrasi: raritatem & densitatem, quale quid videri:

videri: revera non esse. quod ipsum repetit S. Thomas. 2. de Gener. L. 2. nè ergo Aristoteles sibi contradicere videatur, explicandi sunt textus allegati de qualitatibus (e. g. calore, frigore) quæ communiter raritatem præcedunt ut causa; vel de qualitatib⁹ sequentibus ad raritatem & densitatem, ut effectibus; quales sunt e. g. mollitudo, cessilitas, durities, soliditas, &c. vel de qualitate impropiè dicta, sicut quandoque ad questionem: quale est corpus? respondetur: rectum, obliquum, magnum, &c. & tamen rectitudo, &c. non sunt qualitates. Juvat audire S. Thomam in 2. de Gener. Lect. 7. lit. C. rarum & densum, non addunt super partes materie, qualitatem, qua essentialiter sit qualitas: sed potius situm in partibus materie, ad distinctionem per majorem, & minorem quantitatem.

Objicies quartid. Raritas & densitas, non minùs percipitur sensibus, tactu, visu, &c. quām calor, durities, albedo, &c. ergo sunt qualitates, & quidem tertia speciei; in qua ponuntur qualitates sensibiles, & ad generationem substantialem ordinatae. Resp: N. G. non omnia, quæ sensu etiam tactū percipiuntur, sunt qualitas. percipitur enim cuspis gladij, mortuis pulicis, &c. & tamen! Etiā quāritas, suis dimensionibus affecta, est sensibus perceptibilis.

Objicies quintō. Juxta Aristotelem & D. Thomam: ea, inter quæ propriè datur contrarietas, pertinent ad prædicamentum Qualitatis. Atqui inter raritatem & densitatem datur contrarietas: pellunt enim se invicem de subiecto; ergo, &c. Resp: Dist. Maj. inter quæ propriè datur contrarietas ratione intensio[n]is, pertinent ad prædicamentum Qualitatis C. inter quæ datur contrarietas ratione extensi[on]is N. Maj. D. similiter Min. & N. C.

Objicies sextō. Raritas habet contrarium, nempe densitatem; sed quantitas non habet contrarium; ergo, &c. Resp: Distin. Min. quantitas secundum se, & simpliciter sumpta, non habet contrarium C. quantitas ut affecta certis dimensionibus, per quas formaliter constituitur magna & parva; major & minor N. Min. & C. Raritas & densitas, non sunt quantitas præcisè, & simpliciter sumpta; sed quantitas certis dimensionibus, magnis vel parvis, &c. affecta; ergo, &c.

Objicies septimō. Raritas & densitas possunt intendi; ergo sunt qualitates. Resp: N. Ant.

Urgebis. Raritas & densitas suscipiunt magis & minis: unum enim corpus est magis ratum, magisve densum, quam alterum; ergo possunt intendi. Resp: D. A. suscipiunt magis & minis, per extensi[on]em, & contractionem C. A. per inten-

tensionem, ac remissionē N. A. ut enim recte obseruārunt PP. Conimbricenses in 1. de Gener. c. 5. q. 17. a. 4. ly suscipere magis & minis, latius patet: suōque ambitu comprehendit non solum intendi, & remitti; sed etiam extendi, ac contrahi.

Objicies octavō: contra Conclusionem quintam. Potest idem corpus esse ratum & densum sub ijsdem dimensionibus; ergo ratis, & densitas, non recte explicātur per maiores, & minores ejusdem quantitatis physicæ dimensiones. Anteced. prob. æs liquidum, dum funditur campana, non habet maiores dimensiones, quam condensatum. Atqui æs liquidum est rarius. idem est de cera liquefacta, & dein solidata. Ergo. Resp: N. A. ad prob: Dist. A. non habet maiores dimensiones magno excessu C. A. modico excessu N. A. & C. Deinde: non omnis liquefactio est rarefactio; sed ea, quæ parum materia habet sub majoribus dimensionibus, quam antè fuerit; patet ex definitione Aristotelica, saepe recitata.

Objicies novā. Aqua congelata saepe ingenti gibbo supereminet vasi, in quo fuerat aqua calida, & tarior; ergo, &c. Resp: Dist. A. per accidens C. per se N. A. aës saepe subintrat, qui gibbum attollit. manifestatur inde:

dē: quād ad locum calidum posito vase, audiatur sibilus aëris erumpentis; ergo, &c.


Objicies decimō: contra resolutionem ultimae quæstionis. Impossibile est, ut manente eadem quantitate: nec factā ullā illius additione, corpus quantum jam majorem, jam minorem locum occupet; ergo, &c. Resp: Dist: A. nec factā ullā additione quantitatis mathematicæ, & dimensionibus auctæ C. A. nec factā ullā additione quantitatis physicæ N. A. & C. Instantia est in motu, respectu temporis. motus enim per idem spatiū, e. g. unus milliaris, in uno moto (e. g. pedite) commensuratur horæ: in altero (e. g. equite) ve- lociūs moto, commensuratur horæ dimidiæ. Sicut ergo se habet quantitas successiva; id est: motus ad tempus; ità se habet quantitas permanens, seu corpus quantum, ad locum, & sicut idem in re motus, longiore, & breviori tempore mensuratur; ità idem corpus, majore, & minore loco mensuratur. sicut denique tarditas motūs facit, ut una pars magis; & velocitas, ut minus distet ab altera: ità & raritas facit, ut una pars materiae magis; densitas verò, ut minus distet ab altera. Ergo si Adversarij capiunt, quomodo tarditas & velocitas, motūm extendat ad majus, aut contrahat ad minus tempus; capient etiam, quomodo raritas extendat quantitatēm physicā ad majo-

majorēm: deusitas contrahat ad minorem locum.

Urgebis. Motus rarefactionis, & condensationis, sunt motus reales; ergo debent habere terminum realem, ad quem per se ordinentur, & qui vi rarefactionis producatur. Atqui nullus est alijs, quām nova quantitas; ergo, &c. Resp: D. Min. quām nova quantitas mathematica C. Min. quām nova quantitas physica N. Min. & Con. *nova terminations quantitatis, nova figura, &c.* sunt termini reales, quos formaliter in rerum natura constituit motus rarefactionis, aut condensationis.

Replicabis. Mathesis abstrahit à statu physico, & reali; ergo quantitas mathematica non est realiter, ac physicè producibilis. ergo, &c. Resp: Distin: Cons: ergo quantitas mathematica formaliter, in statu abstractionis, & per imaginationem, aut intellectum separata à quantitate physica, non est realiter producibilis. Con. in statu contractionis; & prout afficit, ac certis terminis, figuris, &c. modifical quantitatēm physicā Nego Conseq: per quantitatēm mathematicam non intellige, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem; prout tantum existunt in imaginatione, aut intellectu: sed longitudinem, &c. terminos, superficies, figurās, &c. easque dimensiones, quibus

bus, in statu reali determinatur quantitas physica, ad exigendam certam loci circumscriptioni extensionem. Ipsa enim quantitas physica, secundum se, & simpliciter, nullam certam, determinatamque loci commensurationem exigit. Adeoque distinctio intelligentia fuit de fundamento, & reali objecto abstractionis mathematicae: non de ipsa abstractione imaginationis, aut rationis.



## THESES X.

Elementa non insunt actu, & formaliter ( id est : secundum suam formam substantialem ) corporibus mixtis.

Ita Aristoteles l. I, de Gener. c. 10, t. 84.  
D. Thom: i. p. q. 76. a. 4. PP. Conimbr. in l. I.  
de Gener. c. 10. q. 3. a. 2. & DD. Socie-  
tatis plerique.

§. I.

Probatur conclusio.

Primo. Quodlibet corpus mixtum, prout significat compositum ex materia & forma, non est tantum unum ens per accidens,

dens, & per aggregationem : sed est una substantia, unum ens per se, & per physicam compositionem. ergo implicat, ut omnia quatuor Elementa insint, actu & formaliter, corpori mixto. Con: prob: si adessent formaliter omnia 4. Elementa, unum non haberet se respectu alterius per modum potentiae, & alterum per modum actus: quia propter qualitates summe oppositas, potius sibi invicem interitum, & destructionem machinarentur, quam ut se se sibi invicem coenunicando persicerent.

Sed neque haberent se per modum potentiae perfectibilis, respectu formae mixti: quia vel singula sunt substantiae simplices, ut volunt aliqui ex Adversarijs: vel sunt substantiae compositae ex materia & forma substantiali, ut volunt alij. Atqui nec substantia simplex, nec substantia composita, potest esse subjectum, ac potentia, constituenta cum superveniente forma unum ens simpliciter, ens primò, ac per se: quia forma tali subjecto superveniens, esset forma substantialis; ut supponunt Adversarij: & non esset; quia supervenirent enti substantialiter completo, adeoque esset entis adaequati ens, seu accidentis; ergo, &c.

Probatur secundò. Elementa in propria actualitate constituta, exigunt suas proprias qualitates habere in summo. & istae qualitates

(nempe *humiditas*, & *siccitas*; *calor*, & *frigus*) sunt sibi contrariae; ergo non possunt natura-  
liter in eadem parte mixti invicem conjungi.  
cum enim loco conjungi nequeant, quin se le  
propter qualitates contrarias destruant: mul-  
tè minus poterunt conjungi in eodem com-  
posito, per unionem physicam, quin se le invi-  
cem expellant. sed neque possunt admitti in-  
diversis mixti partibus sibi contiguis, & vici-  
nis: quia sic corpus mixtum non esset unum  
per se; sed tantum aggregatum, ex diversis  
specie corporibus.

Probatur tertio. Si Elementa actu, & for-  
maliter, inessent corporibus mixtis; tunc es-  
sent in statu naturali, & non essent. Essent;  
quia Elementa, juxta Adversarios, à natura  
per se ordinantur ad compositionem mixti. At-  
qui ille status, ad quem natura per se, & con-  
stanter ordinat, non potest esse violentus; er-  
go est naturalis; ergo, &c. Atqui etiam non  
essent in statu naturali: quia non haberent sibi  
qualitates proprias, & connaturaliter debitas;  
e. g. ignis calorem in summo: aqua frigus in  
summo, &c. Imò, si haberent, necdum essent  
in statu naturali; quia essent in perpetuo con-  
fictu, & pugna, propter qualitates summe  
contrarias; ergo.

Objicies primò. Aristoteles. 1. de Gener. t.  
84. dixit: *miscibilia in mixtione non perdi*, ne-  
que *corrumpi*. & paulò post addit: *scilicet misci-  
bilia esse in mixtis, ut possint separari*. Atqui  
illa miscibilia sunt Elementa; ergo, &c. Resp:  
Explico Arist: cum Dist: non *perdi*, nec *cor-  
rumpi* totaliter; etiam quoad virtutes, ac qua-  
litates suas Con. A. non *perdi*, nec *corrumpi* se-  
cundùm quid; nempe secundùm entitatem su-  
am N. A. & C. patet id ex eodem contextu;  
ubi Aristoteles ait: *qua miscentur, neque per-  
manent actum, ut corpus & album: neque cor-  
rumpuntur*. Cujus rationem addit: *salvatur  
enim eorum virtus*; intellige secundùm speci-  
em; non secundùm intentionem. Porro se-  
parari possunt Elementa, vel secundùm vir-  
tutem: vel si acedentibus dispositionibus de-  
nuo generentur.

Replicabis. Ibidem t. 88. inquit Aristote-  
les: *ex gutta vini, copiosis aquis injecta, non fieri  
mixtum*. quia ( ut ille ait ) *solvitur, & cor-  
rumpitur forma vini*. Ergo ut dicatur fieri  
mixtio, non debet corrumpi forma substantia-  
lis. Resp: Explico Arist: cum Dist. quia cor-  
rumpitur forma vini totaliter; & secundùm  
entitatem, & secundùm virtutem suam Con.

Causalem, tantum secundum entitatem suam N. Causalem, & Conseq. tali casu omnia accidentia, vino propria, pereunt; quod non evenit in mixtione ex Elementis.

Objicies secundò cum P. Cabeo in 4. Meteor. t. 13. Aristoteles. 1. de Gener. t. 90. dicit: *mixtio est miscibilium alteratorum unio.* ergo Elementa sunt in mixtis tantum alterata; ergo non substantialiter corrupta; ergo manent in mixtis formaliter inter se unita. Resp: Aristotelem ibidem loqui de mixtione situali, quoad locum, & figuram; qualis sit, dum metallum, argentum, stannum, &c. confunduntur, faciuntque mixturam; quæ sit unum per accidens, non per se. Et hæc est miscibilium alteratorum unio; nempe quoad locum, & figuram. Attamen licet de mixtione etiam Elementari locutus fuisset; non contradiceremus Aristoteli, aliter enim Resp: cum Distinctione explicata: mixtio inchoativa, & dispositiva, est miscibilium alteratorum unio Con. Ant. consummata, ac perfecta Nego Ant. & Con. Inchoatur mixtio per pugnam Elementorum, quâ sibi qualitates suas invicem refringunt: & eidem subjecto, seu materia, inducunt, cui qualitates illæ uniuntur. consummatur mixtio, dum expulsâ Elementi succubentis formâ, forma substantialis mixti succedit. Hanc explicationem esse ad

mentem

mentem Aristotelis, colligitur ex 2. de part. animal. c. 1. ubi ait: *meliùs dici, quod mixta fiant ex virtutibus Elementorum.*

Objicies tertio cum Eodem. Si Elementa per hoc dicerentur inesse mixto, quod eorum qualitates refractæ insint mixto; sequeretur: quod etiam aër insit aquæ, ignis aëri, dum aër in aquam, ignis in aërem mutatur. quia etiam in aqua manet aëris humiditas refracta: in aëre caliditas ignis attemperata, &c. ergo tunc etiam Elementum erit mixtum; quod repugnat in adjecto. Resp. Dist. Seq. sequeretur, quod insit virtualiter Con. quod insit formaliter N. Seq. non tamen ideo erit mixtum: constabit enim tantum duabus qualitatibus primis; unâ in summo: alterâ in excellenti. Ad mixtum vero, juxta Philosophos Aristotelicos ( quibus in q. de voce statudum est ) requiritur temperamentum ex omnibus 4. Elementorum proprietatibus; aut saltē, nè ulla sit in summo.

Objicies quartò cum P. Forero Virid. Philos. Disp: miscell. Arist. 5. Met. t. 4. inquit: *Elementum est, ex quo inexistente aliquid componitur.* &c. 2. Phys. t. 31. ait: *Elementa esse materiam mixtorum, sicut litera sunt syllabarum.* Resp: ibi Aristotelem non loqui de Elementis, prout sunt corpora simplicia, in Universo situata; sed prout sunt principia, corpus

naturale componentia; nempe de materia & forma; ut patet ex contextu.

Objicies quintò. Quando Elementa pugnant; vel superat e. g. ignis; & tunc ille non corruptitur. vel pugnant ita, ut ex neutra parte sit victoria: & tunc etiam neutra forma Elementaris corruptetur; ergo manebunt Elementa secundum propriam formam in mixtis. Resp. licet ex neutra parte sit victoria, tamen interdum ita suas qualitates debilitant, ut subijs neutra forma Elementorum subsistere possit; sed oriatur forma mixti. si vero unum contra alterum, e. g. ignis contra aerem, ita prævaleat; ut nec aer reactione sua, qualitates ignis multum retundat; tunc corruptetur forma aeris, & in materiam ejus inducitur forma ignis; adeoque non est mixtio, sed aeris in ignem transmutatio.

Objicies sextò. In mixtis sunt virtutes, seu qualitates Elementorum; ergo etiam adest Elementorum substantia; quæ eas qualitates, seu proprietates, velut radix exigit. Resp: Dist. A. in mixtis sunt virtutes, & qualitates Elementorum refractæ, & in gradu remisso Con. A. in gradu tam intenso, quam intensum forma Elementaris exigit, ut subsistere possit N. A. & C.

Urgebis. Per hoc quod qualitates Elementorum, etiam multum refringantur, non sequitur,

quitur, quod non possit subsistere forma substantialis Elementi. experimur enim, quod forma aquæ e. g. perduret, etiam multum refracto ejus frigore; item forma aeris subsistit, multum immunita ejus caliditate, &c. ergo, &c. Resp: Distin. A. si, dum qualitas una refringitur, altera, Elemento connaturaliter debita, maneat illæsa: ita ut non fiat omnium 4. primarū qualitatū permixtio C. A. si & illa immunitatur, ac cæteris permisceatur Nego A. in tali enim casu, si utraque qualitas multum refringatur, & aliae permisceantur; succedit forma mixti.

Objicies septimò. Potest dici: quod formæ substanciales Elementorum, subordinantur formæ mixti, ut principalis; ergo saltè sic mixtum actu componetur ex formis Elementorum. Resp: Nego A. Rectè enim dicit P. Suarez D. 15. Met. S. 10. quod tale mixtum pertineret ad diversas species physicas; quia per formas substanciales diversas, habentur specifica corporum differentia; ideoq; ipsa Elementa specie iuter se differunt; ergo nullum mixtum esset unum per se. Accedit: quod juxta Aristotelem, ac D. Thomam, forma substantialis sit actus primus physicus, qui constituit ens primò, simpliciter, &c. ens sibi sufficiens ad existendum, &c. ergo forma mixti, superveniens formis Elementorum, esset sub-

248 Elementa non sunt form. in mixtis.  
stantialis, ut supponitur; & non esset, quia es-  
set entis simpliciter ens; ergo. &c.

Addant pondus hucusque dictis, D. Tho-  
mæ, i. p. q. 76. a. 4- ad 4. verba, sic conclu-  
dentis: *Averroës posuit, quod forma Elementorum, propter sui imperfectionem, sunt media inter formas accidentales, & substanciales; & ideo recipiunt magis ac minus. & ideo remittuntur in mixtione, & ad medium reducuntur, & conflatur ex eis una forma.* sed hoc est impossi-  
ble: nam esse substanciale cuiuslibet rei in indi-  
visibili consistit; & omnis additio, & substractio,  
variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur in 8.  
*Met. t. 10.* unde impossibile est, quod forma sub-  
stantialis quacunque, recipiat magis & minus.  
Nec minus est impossibile, aliquid esse medium  
inter substancialiam, & accidens. Et ideo dicen-  
dum est secundum Philosophum l. i. de Gen quod  
formæ Elementorum manent in mixto, non aclu,  
sed virtute. manent enim qualitates propria Ele-  
mentorum, licet remissæ; in quibus est virtus  
formarum Elementarium. Et hujusmodi qua-  
litas mixtionis, est propria dispositio ad formam  
substancialem corporis mixti; puta formam  
lapidis, vel anima cujuscunque.  
sic ille.

E X  
LIBRIS  
DE  
ANIMA.

A. M. D. G.



# THESES I.

*Vitare, seu vita in actu primo,* est substantia potens se ipsam agere, seu moveare etiam ad terminos oppositos : *vita in actu secundo,* est ipsa operatio, seu exercitium substantiae vitalis.

*Patet ex Aristotele l. 2. de Anim: t. 15.*

*D. Thom: 1. p. q. 18. n. 1. & 2. P. Suarez l. 1. de A. c. 4.*

## §. I.

*Explicatur & Probatur Conclusio.*

**D**icitur substantia potens se ipsam mouere, ly substantia innuit, quod non satis sit, ut principium vitae sit aliqua potentia de genere qualitatis, sicutque virtus tantum instrumentalis ; sed quod debeat esse principium *ut quod*, ab intreloco activum. Ly mouere, ut notat citatus S. Thomas, sumitur latissime ; prout significat quamlibet operationem intentionalem ; v. g. *intellectionem*,

*est substantia potens se ipsam agere, &c. 250  
nem, volitionem, &c.* Additur explicacionis gratia : etiam ad contraria ; per quod denotatur, principium vitale, non esse determinatum praecisè ad unum motum ; sed esse indiferens ad varios motus, etiam contrarios. Sie v. g. *arbor*, est indifferens, ut se augmentet, & crescat : mittendo radices deorsum ; ramos sursum, dextrorsum, sinistrorum ; & truncum dilatet, producat folia, flores, fructus. Sic animal est indifferens, ut se moveat etiam ad loca contraria, motu recto, circulari, &c. Hinc patet : quod formalis operatio debeat esse immanens operanti : debeatq; in eo recipi ; quia alias non moveret *se ipsum*, sed aliud extra se.

Probatur. Iste conceptus vitae distinguit per se vivens ab omni non vivente ; arque adeo conuenit omni, ac soli viventi, primò, ac per se ; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Etiam non viventia habent in se principiū motū intrinsecum, ut patet in Elementis ; quæ habent principiū (nempe gravitatem) per quod se movent deorsum : ignis intrinsecam levitatem, per quam se movet sursum, &c. ergo, &c. Resp: Dist: A, habent in se principium *ut quo*, & instrumentale C, A. principale, & *ut quod* Nego A gravia non

agunt, aut movent se ipsa; sed moventur per gravitatem, à causa ipsorum effectrice, in ipsis productam; qui enim dat esse, dat consequentia, hoc est: connaturaliter ad esse debita. Accedit: quod gravia, & levia, moveantur motu tantum uno; non vario, aut opposito. Sic gravia motu connaturali descendunt tantum; levia tantum ascendunt.

Urgebis. Corpus projectum, per qualitatem movetur ab intrinseco sursum, & deorsum, ut pater in pila resiliente; & tamen pila non vivit; ergo, &c. Resp: Nego A. ex hoc ipso, quod pila moveatur; & non moveat, ac determinet se ipsam; patet, quod nihil inferatur contra conceptum vitæ assignatum. Lapis v. g. projectus, non producit in se ipso impulsus; sed eum imprimet ipsi causa principialis extrinseca, nempe projiciens.

Objicies secundò. Omne quod movetur, ab alio movetur; ergo nulla creatura movet se ipsam; ergo nulla vivit: aut conceptus vitæ non subsistit. Resp: Dist: A. moveritur ab alio etiam C. A. tantum N. A. & C. Sensus Axiomatis Aristotelici, non est negativus; excludens omnem motum, etiam inadæquatum ac partiale, sui; sed est affirmativus; nimirum: omne quod movetur, etiam ab alio (à Causa Prima) moveri.

Obji.

Objicies tertiod. Plantæ vivunt; & tamen non agunt, aut movent se ipsas; ergo non omnino vivens agit, ac movere ipsum; ergo, &c. Ant. prob: non agunt, aut movent se per nutritionem; quia per hanc agunt in alimentum: neque per generationem; quia per hanc agunt in materiam, ex qua generant sibi simile; ergo, &c. Resp: N. A. ad prob: Dist: utramque partem: non agunt se nutriendo, aut generando; in quantum nutritio, & generatio sunt actiones transentes C. in quantum sunt actiones immanentes N. Plantæ introsumunt alimentum, dilatando poros, fibras; dispergiunt alimentum digestum, &c. adeoque si ipsas eatenus simul movent ab intrinseco.

Objicies quartò. Ignis attrahit pabulum, & in se convertit: illudque per partes dispergit; ergo si hoc est vivere, etiam ignis vivit. Resp: Dist: A. attrahit pabulum, & in se convertit per accidens Con. per se N. A. & C. Ignis augmentat se per juxtapositionem materiae inflammabilis; non autem exercet actionem ab intrinseco, & per se sibi immanentem: quia per ejusdem speciei actionem inflammaret, & accenderet materiam combustibilem, extra se positam; ergo per accidens hoc sit, quod pabulum, vicinissime sibi præsens, in se convertat. Ad hoc autem, ut principium sit vitale, requiritur: ut per se, & ex primario fine viven-

L 7

tis,

254. Vita in actu primo, est subiectum: potens, &c.  
tis, moveat se ipsum. adeoque se ipsum in  
individuo moveat, & in se agat; sicutque actio  
viventi per se immanens. ergo, &c.

Objicies quintus. Si vivere, est se ipsum  
moveare ab intrinseco; sequitur DEUS non  
vivere. Atqui sequela est contra Fidem; er-  
go, &c. Sequela Maj: prob: DEUS est Immu-  
tabilis, adeoque Immobilis; ergo non potest  
Se movere ab intrinseco. ergo, &c. Resp: N.  
Seq: ad prob: Dicitur: C. ergo DEUS non po-  
test Se movere, motu formaliter, ac positivo C.  
motu virtuali, ac negativo N. C. DEUS non  
potest per operationem vitalem Sibi Ipsi no-  
vam perfectionem acquirere; quia tamen vi-  
talem operationem (puta Intellectionem, &c.)  
habet Sibi identificatam; habetque à Se Ipso,  
& nullo modo ab alio extra Se; ideo dicitur  
moveare Se Ipsum negativè, per identitatem,  
ac virtualiter. Unde sequitur: quod DEUS  
vivat perfectissimè; quia tantò aliquid vivit  
perfectius, quantò magis operatur ab intra-  
seco, & à se. Atqui DEUS maximè operatur  
ab intrinseco, & à se; nullo agente, aut fine  
extra Se posito, ad operationem determinan-  
te; ergo.

Atque inde etiam patet: conceptum vitæ  
ut sic, non esse univocum, respectu DEI, &  
creaturæ: quia in hac ipsa ratione, per nomen  
vita significata, involvitur diversitas.

THE-

255. THE-

\*\*\*\*\*

## THESES II.

Probabilius sanguis ( idem à  
potiori est de flava, & atra bile, ac  
pituita ) non animatur.

Ita S. Thomas I. parte: q. ultimâ. a. 1.  
ad 3. P. Suarez: l. 2. de Anima. c. 5. Patres  
Conimbricenses l. 5. de Gener. c. 4. q. 24. a. 2.  
Pater Adamus Tanner: 3. p. Disp. 5. q. 4. n. 9. 4.  
ubi ait: hanc Sententiam communiter teneri à  
Theologis, Philosophis, ac Medicis; cum Sancto  
Thoma, Aristotele, & Galeno. l. 4.  
de Vsu partium.

S. I.

Probatur nostra Sententia.

Primum. Id quod non continuatur partibus  
animalis, non animatur; quia anima (præ-  
fertim indivisibilis) non potest partes discontinuas  
animare, se communicando ipsis per  
unionem physicam: siquidem discontinuatio  
est signum numericæ distinctionis. Atqui  
juxta Aristotelem l. 2. de partibus animalium  
c. 3. & l. 3. historiæ animalium. c. 19. ac 20.  
sanguis

sanguis non est continuus carni, hepatis, pulmonibus, aut venis; sed in corde ac venis, quasi vasis, concluditur; ergo sanguis non animatur.

Confirmatur. Si anima animaret per physicam unionem partes discontinuatas, esset divisibilis, & non esset. esset, ut supponitur; non esset, quia discontinuatis unita esset.

Probatur secundò. In sanguine nulla est organorum dispositio pro nutritione; nulla receptacula pro attrahendo, retinendo, convertendo, in suam substantiam alimento: est enim hac in parte similis aquæ homogeneæ; ut patet, dum vena inciditur; ergo sanguis nec infimum gradum vitæ habet; ergo sanguis non vivit.

Probatur tertio. Alimentum non est ejusdem substantiæ, cuius est alitum. quia aliæ nutritio non esset immutatio, & conversio substancialis: sed idem converteretur in se ipsum. Atqui sanguis est ultimum alimento animalis, ut probat Aristoteles. l. 2. de partibus animalium. c. 3. & 10. l. de Juventute, & Senectute. c. 3. Ergo sanguis non informatur vitaliter ab anima illius animalis, cuius est alimentum; ergo, &c.

Confirmatur. Animal non nutritur se ipso directè, ac per se; sed tantum ex accidenti, ratione deficientis extranei alimenti. Atqui animal

animal nutritur sanguine: qui est ultimum animalis alimentum; ergo sanguis non animatur.

Probatur quartò. Sanguis non haberet ex se certam, & propriam figuram, sed tantum cōfiguratur receptaculo, in quo continetur; atque animata habent certam figuram sibi propriam; ergo, &c.

Probatur quintò. Sanguis nimirum copiosus, sape expellit animam; ergo sanguis non animatur: quia aliæ anima sibimet ipsi per se noxia esset.

Ex dictis etiam patet: quod nec spiritus animalis, neque læc, neque omnis adeps, neq; medulla, animentur. Ratio est: quia spiritus animales sunt quidam *flos sanguinis*; adeoque non sunt diversa substantia à sanguine. id est de lacte. Adeps Aristot: est *sanguis perfectè concoctus*; Galeno *frigore congelatur*. Medulla denique est alimento proximum, ac ultimum, à natura ossibus nutrientis destinatum; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Con. Trid: Ses. 13. c. 3. dicit: Sanguinem ponit sub speciebus Eucharistiae, ex vi connexionis, & concomitantia, quæ partes corporis inter se copulantur. Et INNO-

CEN-

CENTIUS III. in Extravag: de celebratione Missæ ait: aquam & sanguinem, è latere Christi fluxisse; ut ostenderetur: Christum habuisse quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem. Ergo sanguis vivit. C. prob: illæ partes vivunt, quæ informantur ab anima. Atqui partes constitutivæ hominis, informantur ab anima; ergo partes constitutivæ hominis vivunt. sed sanguis est pars constitutiva hominis; ut patet ex citato Tridentino: & INNOCENTIO III. ergo, &c. Resp: sanguinem omnino pertinere ad secundariam integratatem hominis; sed quia non continuatur cum reliquis vitalibus, ideo ab eadem anima non informatur. Unde in forma veneror textum, & N. C. ad prob: Dist. Min. partes primariò constitutivæ hominis; & quæ continuantur; & in quibus organa vitæ deprehenduntur C. Min. partes secundariò constitutivæ hominis; & quæ non continuantur; neque organis ad nutritionem necessariis sunt instruētæ N. Min. D. similiter C. & Subsumptum, & N. Con. Fateor, sanguis habet peculiarem connexionem cum carne hominis, quia in illam tanquam proximum alimentum transmutatur. ordinatur etiam speciali connexione ad partes vitæ pollentes, quia propter spiritus vitales est necessarium instrumentum ad opera vitæ; ipse tamen idcirco non est animatus.

Obji-

Objicies secundò. Sanguis est pars principalior animalis, quam capilli, & pili: quia finè capillis, vita servari potest; finè sanguine, non potest. Ergo à potiori sanguini tribuenda est vita. Resp: Dist. A. est pars principalior, spectatā necessitate C. A. spectatā aptitudine, ac dispositione, ad exercendas operationes vitales N. A. & C. etiam finè aëris respiratione animal vivere non potest; & tamen ideo aëri non animatur. In radice capillorum sunt canaliculi, per quos alimentum introsumunt, ut notavit Valesius. I. z. Controvers: Medic. in radice dentium & unguium, sunt nerviculi ac venulæ, ut observavit Galenus; evulsi etiam faciunt divelli cutem, & carnem; quod est signum, capillorum, unguium, dentium, radices continuari cum pelle, & carne. Nihil horum autem stat pro sanguine, formaliter tali: prout est substantia in venis fluida; ergo est disparitas.

Objicies tertiod. Aristoteles I. z. de partibus animalium c. i. numerat sanguinem inter partes animalis; ergo, &c. Resp: Aristoteles eodem l. c. 10. ait: neque sanguis tantu preditus est: quippe cum nulla pars sit animalis. Nè autem videatur sibi contradicere, explicandus est c. i. de partibus secundariò integrantibus; aut de partibus in potentia, quæ in via proxima sunt, ut transeant in partes constitutivas.

tivas. c. 10. de part. primariò integrantibus; sive actu constituentibus integratatem animalis.

Objicies quartò. Licet sanguis parùm depuratus, & necdum sat̄s concoctus, sit alimen-  
tum animalis, neque sit continuus; attamen  
sanguis naturalis, utpote substantia magis di-  
gesta, non est alimentum, estque continuus;  
habet enim certas fibras, per quas continuatur  
cum venis, & hepate; ergo, &c. Resp: vel  
ille sanguis magis depuratus, concoctus, &c.  
est substantia ejusdem speciei cum sanguine  
minus depurato, &c. vel non est. si est? et-  
go tam parùm unus vivit, ac continuatur,  
quam alter, si non est substantia ejusdem spe-  
ciei? non impeditur nostra Conclusio. equi-  
dem pronunciavi de sanguine in famosiori si-  
gnificato Medicorum, ac Philosophorum: pro-  
ut sanguis est substantia per venas fluida; unus  
ex quatuor humoribus corporis. neque vitam  
abngeo illi substantiaz, quæ certis fibris ad nu-  
tritionem instructa est, & cum reliquis vita-  
libus continuata.

Objicies quintò. Quatuor humores sic se  
habent ad corpus hominis, sicut se habent qua-  
tuor Elementa ad Universum. Atqui Ele-  
menta ita se habent ad Universum, ut illud  
constituant tanquam partes; & ideo etiam  
participant formam totius, scilicet ordinem,  
qui

qui est in Universo. Ergo etiam quatuor hu-  
mores constituant corpus hominis tanquam  
partes; & participant formam totius, scilicet  
animam rationalem: quia non datur in homi-  
ne nisi unica forma, nempe rationalis anima.  
Resp: Dist. Min. Atqui Elementa ita se ha-  
bent ad Universum, ut illud constituant tan-  
quam partes discontinuatæ, nec physicè sibi uni-  
tæ C. Min. tanquam partes continuatæ, & si-  
bi invicem physicè unitæ N. Min. Dist. simili-  
ter i. p. Con. ergo etiam quatuor humores  
constituant corpus hominis, tanquam partes  
discontinuatæ: nec sibi invicem, nec reliquis  
partibus physicè unitæ C. tanquam partes con-  
tinuatæ; ac physicè sibi invicē, aut cæteris pat-  
ribus unitæ N. C. D. etiam prob: ultimi adjū-  
cti: in homine non datur nisi unica forma sub-  
stantialis, informativa partium continuarū C.  
partiū nō continuarū N. sicut in magno Mun-  
do, non datur una forma substantialis, informa-  
tiva omnium partium Universi; quia illæ non  
sunt continuæ: ita etiam in parvo Mundo, seu  
homine, non datur una forma substantialis,  
quæ informet omnes partes; etiam inter se  
discontinuatas; quia aliæ eadem anima ratio-  
nalis esset in duobus subjectis, à se invicem di-  
visis; adeoque in duobus subjectis, adequare  
distinctis. illa enim physicè adæquate distin-  
guuntur, quæ physicā unione inter se non  
conne-

coenctuntur, & quæ distinctis terminis quantitatibus discontinuantur.

Objicies sextò. Nisi sanguis informaretur ab anima, tunc animal non esset unum per se; quia in animali essent plures formæ substanciales; ergo, &c. Resp: N. Seq: quia ut animal sit *unum per se*; satis est: quod partes corporis ejus inter se continuatae, informentur ab unica forma substanciali, nempe anima. Ubi

N.B. Animal physicè dupliciter posse considerari. 1.<sup>o</sup> prout secundūm se, & absolute acceptum, involvit tantum materiam, ac formam substancialiter unitam. 2.<sup>o</sup> respectivè per ordinem ad operationes sibi proprias. si materia & forma unita in puncto locarentur; esset corpus physicum substancialē, simpliciter & absolute quoad essentiam physicam secundūm se; non itēm esset corpus physicum, in actu primo ad operationes sibi connaturales adaptatum. sic enim involvit etiam extensionem quantitativam: adaptationem organorum; quæ velut instrumenta ad ejusmodi operationes necessaria sunt; & hæc organa vocantur *partes integræ*. Prima acceptio. ne animal est propriè unum per se; quia nihil involvit, nisi partes substanciales: non vero acceptance altera; quia sic etiam involvit potentiam nutritivam, appetitivam, &c. variarūnque operationum virtutes, quæ acciden-

dentales sunt; adeoque ad diversum prædicamentum pertinent, quam pertineant partes es- sentiales physicæ; ergo implicat, ut constituant propriè unum per se. nam ex duobus entibus diversi prædicamenti, non constituitur propriè unum per se; ut ex Aristotele, ac Di- vo Thoma, docet P. Suarez Disp: 4. Metaph. Sect: 3.

Objicies septimò. Quæ pertinent ad integritatem rei, pertinent ad unitatem illius; constituunt enim unum integrale. Atqui sanguis pertinet ad integritatem hominis; tum quia S. Thomas. 3. p. q. 34. a. 2. in ○. id ait esse manifestum; tum quia omnium lapi- entum judicio, homo esset mutilus, qui san- guine careret; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: quæ pertinent ad integritatem rei, ut pars *a-ctu* constitutiva illius; & quæ cum reliquis partibus continuantur Con. Maj. quæ perti- nent ad integritatem rei, tantum ut pars *in po- tentia*; neque actu continuantur cum reliquis partibus N. Maj. sanguis est ultimum homini- nis alimentum; potestque per transmutatio- nem substancialē proximè converti e. g. in carnem. & sic facta mutatione pertinebit actu ad integritatem, & unitatem animalis. Dist. etiam Min. pertinet ad integritatem ho- minis secundūm partes instrumentales, etiam discontinuatas, accepti Con. Min. secundūm partes

partes tantum continuatas accepti N. Min. & Con. illæ partes vivunt, quæ organis ad operationes vitæ exercendas instructæ sunt, & cum alijs vitalibus continuatur; quod in sanguine non habetur.

Objicies octavò. Sanguis movetur quaqua-versum in corpore animalis; quia urgente ven-  
recundiâ movetur ad faciem timore adurgen-  
te ad cor; ergo vivit. Resp: Dist. A. move-  
tur ab extrinseco C. ab intrinseco N. A. & C.  
ea vivunt, quæ se ipsa movent; sanguis non  
movet se ipsum, sed movetur ab aliquo sibi ex-  
trinseco; nempe à virtute loco-motiva, appe-  
titiva, &c. Nonne etiam v. g. saliva, sudor,  
&c. in corpore moventur motibus diversis; e-  
tiam contrarijs, sursum, ac deorsum, ut patet  
in catarrhorum ascensu, descensu, &c. quæ  
tamen nemo dixerit vivere: quia ita moventur  
à virtute expultrice, ut instrumento poten-  
tiæ nutritivæ subordinato.

Objicies nonò. Adeps vivit, ut docent Me-  
dici; patetque ratione: tum quia continuatur  
cum carne; tum quia illò læsò, sentitur dolor;  
tum quia certis organis, ac fibris constat, ad  
fugendum alimentum, & nutritionem, necel-  
laris; ergo, &c. Respondeat P. Comptonus:  
adipem carni immixtum vivere, non item à  
carne segregatum; idque propter rationes jam-  
jam allegatas, probabiliter dici posset. Re-  
spondent

spondent Comimbricenses, P. Rubius, & a-  
lij ex Medicis: quod adeps non vivat; tum  
quia carni continuativè non unitur; sed instar  
glutinis firmiter adhæret; tum quia dolor non  
sentitur; nisi propter immixtas partes carno-  
sas, quæ lœduntur. experientia enim constat,  
etiam glires, in præpinguisibus porcellis stabu-  
latos, dolorem nullum concivisse. tum quia  
certis organis non instruitur, ipse pro se; sed  
per ipsum nervuli, venæ, transeunt ad carnem,  
aliásve partes continuativè uniendas.

Obj: decimò. Verbum Divinum nō assum-  
psit, nisi unam substantiam. Atqui sanguinem  
assumpsit, ut docet Fides; ergo sanguis  
non est distincta substantia à carne; ergo non  
habet aliam formam substantialem; ergo, &c.  
Resp: Dist. Maj. directè, primariò, ac per se  
Con. Maj. indirectè, secundariò, & per acci-  
dens N. Maj. per se, primariò, & directè, as-  
sumpsit naturam humanam secundum se; in-  
directè, secundariò, ac per accidēs ea, quæ na-  
tura humana per concomitantiam, ac connec-  
tionem specialem, in ordine ad operationes si-  
bi proprias, secum trahit. sanguis autem pro-  
pter spiritus animales, ex sanguine progenitos,  
est instrumentum ad operationes vitales exer-  
cendas necessarium. sic etiam per accidens  
assumpsit formas partiales; in Sententia co-  
rum, qui eas admittunt: aut formam cadave-  
ricam

266 Potentia realiter distinguuntur  
ricam triduo mortis; in Sententia eorum, qui  
formas partiales negant.



### THEISIS III.

Potentiae vitales, seu facultates proximae operandi vitaliter, distinguntur tum inter se, tum ab anima  
realiter.

Ita Aristoteles in Pradic. cap. de Qualitate. S. Thomas 1. p. q. 54. a. 3. & q. 77. a. 1.  
Cardin: Toletus hic l. 2. c. 4. q. 9. P. Suarez  
l. 2. de Anima. c. 1. PP. Conimbricenses hic c.  
3. q. 4. a. 2. P. Valentia. P. Lud. Molina. P.  
Sylvester Maureus, & alij Doctores Societ.  
IESV complures.

#### §. I.

Explicatur & Probatur nostra Thesis.

Prob: primò autoritate Aristotelis; quia in  
Prædicamentis c. de Qualitate docet: quod  
potentia pertineat ad secundam speciem qualitatis.  
Atqui qualitates sunt formæ accidentiales; sub prædicamento accidentis contentæ;  
substantijs realiter superadditæ, & ab ijs reali-

ter distinctoræ; ergo potentiae realiter distinguntur à substantijs. Subsumo: Atqui anima, tum vegetativa, tum sensitiva, tum intellectiva, est substantia; ergo potentiae realiter distinguntur ab anima.

267

Probatur secundò ratione. Si anima esset realiter identificata singulis suis potentijs; etiam potentiae ejus realiter identificarentur inter se, quia quæcunque sunt realiter idem alicui tertio, sunt realiter idem inter se. Atqui potentiae animæ non sunt realiter idem inter se, &c. tum quia (e. g.) intellectus & voluntas, habent modum tendendi oppositum; intellectus enim cognoscendo trahit res intrà se (ut ostendit S. Th: 1. p. q. 27. a. 3.) & ideo prima eius operatio vocatur apprehensio; voluntas è contrario per operationem suam inclinatur extra se, ut uniatur amato; juxta illud S. Aug: amor meus pondus meum: illo feror, quounque feror. tum quia una potentia animæ resistit alteri, & impedit alteram; v. g. appetitus concupiscibilis, aut irascibilis, rationalem, &c. tum quia potentia visiva, recipit realiter species materiales sensibiles: intellectus species immateriales, & insensibiles: vegetativa nullas; tum quia potentia proxima auditiva, aut visiva, potest separari realiter à potentia proxima volendi, intelligendi, &c. ut patet in sur-

M 2

do, aut

268 Potentie realiter distinguuntur  
do, aut ex eo, rationis compote; ergo poten-  
tia non sunt idem cum anima.

Confirmatur. In Elementis, & alijs non  
viventibus, motus localis procedit à substanc-  
tia, inter medijs qualitatibus distinctis. sic mo-  
tus *sursum*, provenit à levitate; motus de-  
orsum, à gravitate, &c. ergo etiam motus,  
seu operationes vitales, procedunt ab anima,  
mediantibus potentijis accidentalib<sup>z</sup> distinctis.

Probatur tertio. Modus operandi sequi-  
etur modum essendi; eique ita proportionatur  
in perfectione, ut hunc non excedat. At  
qui anima non est causa in essendo perfectissi-  
ma; ergo nec est in operando vitaliter, perfe-  
ctissima. Subsumo: Atqui si principaliter o-  
peraretur immediate, per se, absque interme-  
dijs potentijis, velut instrumentis realiter dis-  
tinguis; tunc esset in modo operandi vitaliter  
perfectissima, illimitata, ac infinita; quia in  
hoc genere nihil habeter sui limitativum. nec  
enim indigeret alio intrinseco determinativo  
ad operandum: cum per se ipsam immediate, ac  
proxime operaretur; ergo, &c.

Confirmatur. Nullum prædicatum, DEO  
proprium, potest convenire ulli creaturæ; quia  
proprietas convertitur cum essentia. Atqui  
agere principaliter, ac vitaliter immediate sine  
potentijis realiter à se distinctis, est prædicatum  
DEO proprium; quia est prædicatum. Illimi-  
tatum;

inter se, & ab anima. 269  
tatum, Infinitū; ac in genere operandi vitaliter,  
perfectissimum; verbō: est perfectio simpliciter  
simplex. nec enim in conceptu suo involvit  
ullam imperfectionem admixtam, per quam  
limitaretur, ac excluderet perfectionem in ge-  
nere operandi vitaliter; ergo, &c.

Probatur quartò. Actus, qui attingunt sua  
objecta modo tendendi essentialiter diverso, &  
sub ratione formalis adæquate diversa, etiam  
ipso sunt essentialiter diversi. Atqui actus in-  
telligendi, volendi, videndi, audiendi, &c. at-  
tingunt sua objecta modo tendendi essentiali-  
ter diverso, & sub ratione formalis adæquate  
diversa: intellectio enim tendit sub ratione ve-  
ri, voluntio sub ratione boni, visio sub ratione co-  
lorati, quā talis, &c. Ergo, &c. Subs: Atqui  
actus essentialiter in modo tendendi, & quo-  
ad objectum formale diversi, exigunt poten-  
tias essentialiter diversas. sicut enim actus spe-  
cificantur ab objectis formalibus, ita potentiae  
ab actibus, tanquam à fine, ad quem primò,  
ac per se ordinantur; ut ex Aristotele docuit  
S. Thom: i. p. q. 77. a. 3. & i. 2. q. 54. a. 2.  
& cum utroque P. Suarez l. 2. de Anima. c. 2.  
Ergo, &c.

Confirmatur. Sic se habet ordo, ac habitu-  
do intrinseca in entibus respectivis, sicut se ha-  
bet in absolutis forma inhærens, & intrinsecè  
actuans aliquod ens; ut docet cum Aristotele

D. Thomas nuperimè citatus. Atqui forma inhærens, & actuans, specificat entia absolute; hoc est: facit unum ens compositum specie differre ab altero, juxta Aristotelem 7. Metaph. t. 49. (*actus enim est, qui distinguit*) ergo in entibus respectivis, ordo & habitudo intrinseca, diversificat specie; facitque unum ens respectivum specie differre ab altero. Subsumo: Atqui potentiae, ac virtutes proximè operandi vitaliter, sunt entia respectiva; siquidem per respectum, & ordinem ad operationes vitales, definiuntur; ergo, &c. Ergo *respectus, ordo, ac modus tendendi* in operationes vitales, est differentia essentialis potentiarum vitaliter operandi. Subsumo iterum: Atqui implicat, ut eadem res habeat multiplicem differentiam essentialiem; ergo implicat, ut habeat multiplicem diversum ordinem realem, ac respectum essentialiem, ad operationes diversas, sub diversa ratione formalis; ergo implicat, ut potentiae proximæ intelligendi, volendi, videndi, audiendi, &c. sint eadē res. Ergo non identificantur realiter inter se; ergo nec identificantur realiter unī anima: siquidē verū est, quod ea nequeant realiter identificari unī tertio, quæ nequeunt identificari inter se.

Confirmatur hoc ipsum amplius. Ideo Scientiae, & habitus virtutum, &c. distinguuntur inter se realiter; quia actus ipsorum respiciunt divers-

diversum objectum formale quo ultimatum: licet aliquando habeant idem objectum formale *quod*, aut materiale; ut patet inductione. sic Physica, realiter & specie, distinguuntur à Medica Scientia, &c. licet utraq; respiciat idē corpus; ista tamen respicit *ut sanabile*, illa *ut mobile*; ergo etiam illæ potentiae distinguuntur realiter & specie, quæ habent essentialiter modum tendendi oppositum, sub diverso objecto formalis quo. Atqui modus tendendi e.g. voluntatis, & intellectus creati (quia non continent in se omnem perfectionem ut Deus) est oppositus; unus enim trahit res intra se: alter trahitur ad res extra se; & objectum formale quo intellectus, est ratio veri: voluntatis autem ratio boni; ergo, &c.

Probatur quintò, peculiariter de anima rationali. Quæ potentiae conveniunt etiam rebus purè materialibus, ac corporeis; & quidem perfectiùs, quam ulti rei aliquomodo spirituali: illæ potentiae sunt entitativè materiales. Atqui potentia *visiva, auditiva, nutritiva, &c.* convenient rebus purè materialibus; & quidem perfectiùs, quam homini: si quidem

*Nos aper auditu, Lynx visu, simia gustu,*

*Vultur odoratu: nos vincit aranea tactu.*

ergo ejusmodi potentiae sunt entitativè materiales. Atqui anima rationalis est entitativè

spiritualis, indivisibilis, &c. ergo anima rationalis, non est entitativè, ac realiter idem cum potentia visiva, auditiva, nutritiva, &c.

Confirmatur. Operatio vitalis est operatio immanens principio, ita ut simul sit principium effectivum, & subjectivum. sed implicat, ut operatio nutritionis, visionis, &c. sit immanens animæ rationali; quia de essentia accidentis materialis est, ut exigat subjectum materiale: per hoc enim differt ab accidente spirituali; ergo implicat, ut anima rationalis sit immediatum, ac proximum principium effectivum, ac subjectivum nutritionis, visionis, &c. ergo potentia immediata, & proxima nutritionis, visionis, &c. est aliquid realiter ab anima distinctum.

### §. II.

#### *solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Anima una differt ab altera per potentias. sic anima rationalis differt ab anima bruti, quod illa sit potentia intellectiva, volitiva, &c non ista. Atqui quælibet res differt per suam substantiam; ergo potentiae sunt substantia animæ; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: differt per potentias *radicaliter*, & illas exigendo C. Maj: per potentias *formaliter*. N. Maj. C. Min. Dist. similiter C. & N. C. per hoc differt anima rationalis ab alijs, quod

quod illa exigat potentias intelligendi, volendi, &c. non item cæteræ.

Objicies secundò. Anima vivit in actu primo; sed vivere in actu primo, est posse agere vitaliter, seu movere se ipsum; ergo anima potest agere vitaliter, seu movere se ipsam; ergo anima potest immediate operari. Resp: Dist. Maj. vivit in actu primo ( si de proximo sermo est) per potentiam vitalem distinctam C. Maj. per se ipsam N. Maj. Dist. etiam Mi. sed vivere in actu primo (nempe proximo) est posse agere, seu movere se ipsum, per potentiam realiter distinctam C. Min. est agere, seu movere se ipsum, per se ipsum N. Min. Dist. similiter C. & Illatum. *Iy agere immediatè se ipsum*, non excludit instrumentales potentias; sed causam motricem principalem adæquatam. Anima ipsa est causa principalis suorum motuum; non autem est principium immediatum proximum, & ut quo.

Urgebis. Ergo anima non aliter se habet, quam Rex ad gubernationem, dum per ministros suos agit omnia. R. N. Illat: Ministri sunt Regis instrumenta separata; potentiae sunt instrumenta animæ conjuncta, illique physice unita; ergo, &c.

Objicies tertio. Si anima viveret per potentiam distinctam, non posset vivere per se; ergo anima vegetativa non posset vegetari per se:

nec sensitiva posset sentire per se : neque anima rationalis posset intelligere per se ; sed per potentiam accidentalem. Atqui Sequela est falsa ; quia anima vegetativa per essentiam suam potest vegetare : sensitiva sentire : anima rationalis intelligere ; ergo, &c. Resp: Dist. Sequelam Maj. non posset proximè C. non posset remotè N. Maj. Dist. similiter prob: Mi. & N. Con. satis est, quod exigat essentialiter ejusmodi potentiam , ceu suam proprietatem. sic ignis dicitur ex natura sua , & per se , calefactivus : quia exigit calorem , ut proprietatem suam ; licet in actu secundo per calorem distinctum calefaciat.

Objicies quartò. Illud est potentia sentiendi, intelligendi, &c. quod brutum formaliter constituitur *sensitivum*, homo *intellectivus*, &c. Atqui forma substantialis est illud, quod brutum formaliter constituitur *sensitivum*, homo *intellectivus*, &c. Ergo forma substantialis est potentia sentiendi, intelligendi, &c. Atqui forma substantialis bruti , aut hominis, est anima ; ergo, &c. Resp: Dist. Maj. illud est *potentia proxima* sentiendi, ut quo , quod brutum formaliter constituitur *proximè sensitivum*, aut homo *intellectivus* C. Maj. illud est *potentia proxima* sentiendi, quod brutum formaliter constituitur *remotè sensitivum* Nego Maj. Dist. similiter Min. & Cons. & Nego Cons.

Cons. Anima est ipsa potentia remota , radicalis , & fundamentalis sentiendi ; non autem est potentia instrumentalis , & proxima ; sed hæc est accidens proprium , animæ, ut radicæ ac fundamento, superaddita.

Objicies quintò. Si potentia essent instrumenta animæ, accidentaliter ab illa distinctæ; tunc homo esset imperfectior, quam infimæ perfectionis brutum ; ergo, &c. Seq: prob: eò substantia est perfectior, quod paucioribus eget instrumentis ; ergo eò est imperfectior , quod pluribus eget. sed homo eget pluribus instrumentis, quam brutum infimæ perfectionis: quia eget pluribus potentij, ut per se patet ; ergo, &c. Resp: N. Seq: ad prob: Dist: A. eò substantia est perfectior ceteris paribus C. A. ceteris imparibus N. A. Dist. similiter C. ac Subsum: & Nego Cons. si possit substantia effectus æquè excellenter perfectos operari per instrumenta pauciora , ac potest operari altera per plura ; tunc illa est perfectior , quæ est operativa per pauciora. homo autem excellentiū, & perfectiū operatur, quam bruta : estque infimum supremi , & supremum infimi; adeoque participat aliquid de creatura spirituali , ac corporali ; ergo eget tum potentij materialibus, tum spiritualibus ; ergo plures habet potentias, quam Angeli : & plures quam bruta. Est hæc doctrina conformis Aristote-

teli. 2. de Cœlo t. 66. D. Th. I. p. q. 77. a. 2.

Objicies sexto. Si potentia esset instrumenta, ab anima realiter distincta, &c. sequetur: quod potentiæ plus haberent activitatis; adeoque quod essent perfectiores, quam anima; ergo accidens esset perfectius quam substantia. Resp. Dist. prim: Seq: Ant. sequetur, quod haberent plus activitatis instrumentalis Con. plus activitatis principalis N. A. & Seq: illi annexam. Principaliter, & ut quod agere, est perfectius; quam agere instrumentaliter, & non quo. Patet hoc universaliter inductione; etenim *instrumentaliter agere*, in suo conceptu involvit imperfectionem, seu indigentiam causæ principialis; causa vero principialis, & non quod, non dicit in suo conceptu imperfectionem, seu indigentiam causæ principialis.

Objicies septimo. Si v. g. voluntas esset potentia accidentalis, ab anima realiter distincta; tunc anima non esset immediatè libera; ergo anima non posset immediatè operari liberè; quod est hereticum. Resp: Dist. Seq. A. anima non esse immediatè libera ut quo C. ut quod N. A. Dist. similiter Con. & Nego Con. cum Illat. Anima est causa principalis libera operationis; voluntas ut potentia proxima, est instrumentum animæ: operatio autem primariò attribuitur causæ principali.

Repli-

Replicabis. Si anima tantum esset libera, mediante potentia voluntatis distincta; tunc anima ipsa se haberet purè materialiter, & passivè, ad operationes liberas, ac meritorias; atque hoc est contra Fidem; ergo, &c. Resp: Dist. Seq: Maj. si anima tantum esset libera, mediante potentia voluntatis distincta ut quo Con. Seq: mediante potentia voluntatis distincta ut quo N. Seq: Maj. Distin. similiter Min. & N. C. voluntas est id, quo anima formaliter constituitur libera proximè; quo anima operatur libere; ipsa vero anima est illud, quod est liberum: quod operatur libere, &c.

Insurges. In illo debet esse potestas immediatè determinandi actum liberum, ac meritorium, quod per actum liberum, formaliter meretur poenam inferni, aut præmium Cœli. Atque anima rationalis formaliter per actum liberum meretur poenam inferni, aut præmium Cœli; ergo in anima est potestas immediatè determinandi actum liberum, ac meritorium; ergo. Subsumo: Atque potestas immediatè determinandi actum liberum, est potentia immediatè operativa; ergo in anima est potentia immediatè operativa; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: in illo debet esse per unionem potestas immediatè determinandi actum liberum, ac meritorium Con. Maj per idem-

titatem Nego Maj. Dist. similiter Conf. & argumenti, & Subsum: & N. Conf. Potentia, per quam immediate, ac proximè determinantur actus, unitur animæ rationali; non autem illi identificatur. illa potentia tamen est instrumentum, quôd determinantur actus; anima est principium activum, quod determinat actus.

Objicies octavò. Anima continet eminenter suas potentias; ergo eminenter potest totum id, quod ipsæ potentiae; ergo est immediatè operativa. Resp: Dist. A. continet potentias suas eminenter radicaliter Con. A. eminenter formaliter Nego A. Dist. similiter pri-  
mum Conf. & N. C. cum Illat.

Objicies nondò. Anima efficit suas potentias immediatè, sine alijs potentijis interme-  
dijs; nè procedatur in infinitum. Ergo eti-  
am potest immediatè efficere suas operatio-  
nes; ergo, &c. Resp: Nego A. Audi doctrinam Parris Suarez: l. 2. de Anima. c. 3. Ab-  
solutè dicendum est, quòd agens principale pro-  
ducat formam cum omnibus virtutibus, qua ex  
illa sequuntur. hic certè est communis modu-  
loquendi, & sentiendi omnium. Sic D E V S  
creando animam, dicitur potentias concreari.  
Ratio est: quia agentis est producere substanti-  
am rei undequaque instructam ad suum finem.  
& ideo dando formam, das omnia, que ipsam  
perfici-


perficiunt, non tantum quoad esse, sed etiam ut sit exactum principium operandi; atque adeò ut sit principium potentiarum, ad finem operandi requisitarum, sic ille.

Objicies decimò. Anima emanat suas po-  
tentias, ut docet S. Thomas i. p. q. 77. a. 4.  
& alibi; atqui emanare, est efficere; ergo ani-  
ma efficit suas potentias; ergo anima opera-  
tur immediatè. Resp: explicando D. Tho-  
mam, cum Dist: ipsiusmet: anima emanat su-  
as potentias exigitive, ut radix eas connatura-  
liter exigens Cou. Maj: emanat eas efficienter  
Nego Maj: Distin. Min. Atqui emanare effi-  
cienter, est efficere Con. Min. emanare exigitive,  
& radicaliter Nego Min. & Con. Ani-  
ma ideo dicitur emanare; quia essentia ani-  
mæ velut radix exigit, ut actio productiva es-  
sentiae continuetur usque ad accidentales po-  
tentias, ad proprietates suas, per quas forma-  
liter adaptatur ad subsequendum finem suum:  
esse enim est propter operari, agens verò ema-  
nat efficienter ipsas potentias animæ: qui e-  
tim dat esse, dat consequentia connaturali-  
ter requisita ad esse. ergo anima non emanat  
activè suas potentias; idque propter rationes,  
pro Conclusione allatas.

Objicies undecimò. Verum & bonum, nona  
distinguuntur realiter, sed tantum ratione, &  
convertibiliter; ergo etiam intellectus, & vo-  
luntas,

luntas. Resp: Nego C, quia potentiae distinguuntur per objectum formale quo, & modum tendendi diversum ; licet objectum formale *quod*, realiter sit idem ; ut patet inductione , & autoritate Aristotelis, ac D. Thomae, supra citati, sicut enim distinguuntur actus per ordinem ad objecta : ita potentiae distinguuntur per ordinem ad suos actus. Atqui actus distinguuntur realiter, licet objectum formale *quo* ipsorum, distinguatur tantum ratione ; ut patet in intellectione, quæ respicit ens, subtractione *veri* : & in volitione , quæ respicit ens, subtractione *boni* ; ergo, &c.

Objicies duodecimò. Licet amor & odium sint actus realiter distincti ; tamen potentia amandi non distinguitur realiter à potentia odio habendi ; ergo à pari. Resp. N. C. Disp. est : quia licet habeant diversum explicitè modum tendendi, habent tamen idem objectum formale *quo*. uterque enim actus ultimatè tendit in *bonum*: quia omnis amor boni est implicitè, & virtualiter, fuga mali oppositi : & odium mali, est implicitè, & virtualiter, amor boni oppositi ; ergo, &c. Imò in re , & virtualiter, nec est diversus mod⁹ tendendi; licet formaliter, & explicitè, sit diversus.



## THEISIS IV.

**Probabilius animæ brutorum perfectorum**, non sunt divisibles in partes integrales, ac quantitativas.

*Ita Aristoteles l. de Juv: & Sen: c. 1. 2. de An. c. 2. t. 20. D. Thomas ibidem. Lect. 4. I. p. q. 76. a. 8. P. Suarez l. 1. de An. c. 13. PP. Conimb. in 2. de An. c. 1. q. 8. art. 3.*

### §. I.

*Explicatur & Probatur nostra Conclusio,*

**V**ocantur hic *bruta perfecta*, quorum partes divisæ vivere nequeunt; idque meritò: quia habent modum informandi magis unum; & in eo proximè accedunt ad formam inter defacto existentes perfectissimam, nempe animam rationalem ; cuius hæc perfectio est, quod indivisibilis sit. Tales formæ sunt, anima *equi*, *leonis*, &c. ceteræ formæ brutorum ex ratione opposita hic appellantur *imperfectæ*.

Dico primò. Animæ vegetativæ tantum; aut vegetativæ, ac sensitivæ, brutorum imperfectorum ( quales sunt animæ lacertarum, aliorumque infectorum ) sunt omnes divisibles in partes integrantes, & extensivas. Ità Aristoteles 2. de Anima c. 2. D. Thomas ibid. L. 4. P. Suarius. l. 1. de An. cap. 13. num. 2. & 3.

Probatur. Tales animæ sunt in infimo gradu animatorum, sūntque inter animata imperfectissimæ. Atqui juxta Axioma D. Dionysij, à S. Thoma, & Aristotelicis receptum: *Infimum supremi, attingit supremum infimi;* id est: forma gradus superioris, participat conditiones, cum suprema inferioris gradus; ergo formæ animatorum infimi gradus, participat conditiones requisitas ad formas supremas in animatorum. Subs: Sed formæ inanimatorum ità dependent à materia, quantitate affecta, ut ratione illius sint divisibles; ergo, &c.

Confirmatur primò. Experiendi constat, arbores ità dividi in ramos, ut eorum quilibet vivat; & si debitè curetur, in novam arborrem adolescat. Itcm: in serpentibus, vermis, v. g. lumbricis, videmus, si discindantur in duas partes, quod utrobique se se moveant, & ad puncturas sensationem prodant; ergo retinent in utraque parte animam; ergo, &c.

Confirmatur secundò, speciatim de vegetativis.

tivis. Surculus v. g. arbore excisus, terræ, aut alteri cuiquam arbori insertus, fert fructus; quales tulerat arbor, illius origo; ergo surculus etiam abscissus, retinet eandem animam, quam prius habuerat continuus arbori. Atqui non retinet totam; alias eadem anima post abscissionem esset in subjectis adiquatè distinctis: essetque in locis discretis, ac discontinuis; ergo retinet animæ illius partem; ergo anima arboris est divisibilis. Idem est de alijs plantis.

Confirmatur tertio, speciatim de sensitivis. Si abscindatur manus hominis, aut pes bruti perfecti, non sentit: non se dolore tactus contrahit; & tamen spiritibus animalibus hæc magis abundant, quæm partes à serpentibus, lumbricis, &c. revulsæ; ergo motus partium serpentinarum, non potest refundi in remanentes spiritus vitales; nec in formam denuo productam: quia alias etiam in pede bruti produceretur. nec in animam totalem viventis: quia alias omnes partes divulsa eodem dolore tangerentur. ergo dicendum est, quod animæ sensitivæ sint divisibles in partes integrantes, ac extensivas.

Dico secundò. Si quantitas tam bene recipitur in forma substantiali, quæm in materia; probabilius nulla forma materialis; adeoque nec

nec anima sensitiva brutorum perfectorum,  
est indivisibilis quantitativè.

Probatur. Quia in hoc supposito omnes  
formæ materiales, saltēm per accidens essent  
quantæ, & extensæ; ergo omnes essent divi-  
sibiles. A. prob: ideo materia prima fit forma-  
liter quanta, extensa, & in partes integrales  
divisibilis, quia est subjectum inhæsionis, re-  
cipiens quantitatem: atque adeò participans  
effectum formalem quantitatis primarium;  
atqui etiam in hoc supposito, omnis forma  
materialis esset subjectum inhæsionis recepti-  
vum quantitatis: & participaret effectum il-  
lius primarium; ergo, &c.

Confirmatur. Quæcunque anima sensitiva non participaret effectum formalem primariū quantitatis receptæ, non posset esse sub-  
jectum inhæsionis, quantitatis receptivum:  
implicat enim esse subjectum inhæsionis alicuius formæ, & esse incapacem effectū for-  
malis primarij talis formæ: tum quia subje-  
ctum inhæsionis nihil est aliud, quām poten-  
tia receptiva formæ, *in* & *ex* illa per generatio-  
nem eductæ; tum quia effectus formalis pri-  
marius formæ, nihil est aliud, quām ipsa com-  
municatio formæ, subiecto unitæ: adeòque  
si quod subjectum est incapax effectū for-  
malis primarij, alicuius formæ recipiendæ, etiam  
incapax est, ut sit subjectum inhæsionis, respe-

ctu

ctu talis formæ. ex hac etenim sola ratione  
lignum v. g. non poret esse subjectum inhæ-  
sionis, intellectiois receptivum: quia lignum  
non est capax effectū formalis primarij, quem  
communicaret intellectio: nempe per unio-  
nem sui, reddendo subjectum intelligens; ergo,  
&c. Atque ex hoc rursus elucescit, rectè alias  
dictum fuisse: quod forma substantialis sit  
tantum conditio, ita ut non reciperetur quan-  
titas in materia, nisi in eadem materia recipi-  
retur forma substantialis. Igitur in eadem  
Sententia

Dico tertio. Probabilius animæ brutorum  
perfectorum sunt indivisibiles in partes inte-  
grales, ac quantitativas.

Probatur primò autoritate Aristotelis l. de  
Juventute, & Senectute c. i. dicentis: *at qua*  
*optimâ fabricatione constant, haud quicquam*  
*dissecta vivere queunt; quod eorum natura,*  
*quām maximè potest, una habeatur.* Itēm au-  
toritate S. Thomæ. q. Disp. de Spir. Creat:  
a. 4. discurrentis *sed restat inquirendum, quod*  
*dicitur: totam animam esse in toto, & totam in*  
*singulis partibus; ad cuius evidentiam conside-*  
*randum est, quod triplex totalitas inveniatur;*  
*prima quidem est manifestior secundum quan-*  
*tatem, prout totum quantum dicitur, quod na-*  
*tum est dividī in partes quantitativas; & hac*  
*totalitas non potest attribui formis, nisi per acci-*  
*dens;*

286 *Anima brutorum perfectorum*  
dens; in quantum scilicet per accidens dividuntur divisione quantitatis, sicut albedo divisione superficie. sed hoc est tantum illarum fermarum, qua coextenduntur; quod ex eo competit aliquibus formis, quia habent materiam similem, & in toto, & in parte, unde forma, qua requirunt magnam dissimilitudinem in partibus; non habent ejusmodi extensionem, & totalitatem; sicut anima præsternit perfectorum animalium. Ita S. Doctor; qui ibidem secundam totalitatem dicit *essentia specifica*; & secundum hanc affirmit esse totam formam in qualibet parte, sic tota essentia specifica albedinis, est in quavis parte secundum totalitatem extensionis, & quantitatis. Tertiam ait esse totalitatem *virtutis*; & secundum hanc affirmat non esse totam animam in qualibet corporis parte: quia partes corporis disformiter perficiuntur ab anima perfectiore, ad diversas operationes.

Probatur secundò ratione. Exensis, ac divisibilitas integralis, nec est formis substantiilibus essentialis, aut realiter identificata: quia hoc soli competit quantitati; neque formæ substantiales sunt extensa, ac divisibilis, ratione quantitatis unitæ, ac in ipsis receptæ, tanquam in subjecto inhalationis: alijs omnes formæ substantiales essent quantæ, extensa, ac divisibilis; ergo si quæ habent extensionem, ac divisibilitatem; præcisè ex eo habent, quod unifor-

funt indivisibiles. 287

uniformiter informent subjectum extensem. ergo quæ non informant uniformiter subjectum extensem, non dicuntur, nec sunt extensa, ac divisibilis; licet sint in subjecto quanto, extenso, ac divisibili. Subsumo: Atqui v.g, animæ brutorum perfectorum, non informant subjectum uniformiter; quia requirunt materiam, diversis organis, ac instrumentis adaptam; & in diversis partibus corporis, operationes exercent diversas: atque illo organorum præcipuorum apparatu sublato, mox perirent. ergo non sunt in subjecto suo, seu corpore organico extensivæ, ac divisibiliter, ergo, &c.

Confirmatur hæc ratio. Inductione patet, quod solùm tunc formæ subjectum informent uniformiter, quando possunt easdem præcipuas operationes exercere in partibus subjecti divisis, quas poterant exercere in partibus conjunctis. ideo enim dicitur ignis subjectum suum informare uniformiter, quia in qualibet parte subjecti divisi potest exercere calefactionem, quæ est præcipua ignis operatio. Idem est de alijs formis; tum Elementaribus, tum mixtis inanimatorum. Colligiturque id ex eo, quod non indigeant ad operationes suas diversâ adaptatione, in hac potiùs, quam in alia subjecti parte; sed sufficit illis subjectum uniforme homogeneum, nec organis specialiter di-

duo extrema. Ergo datur anima, quæ partcipet hoc ab imperfectioribus, quod sit materialis; & ab anima rationali superioris ordinis, quod sit indivisibilis; cum aliunde talis anima materialis, ac indivisibilis, non implacet. Atqui talis anima intermedia recte dicitur esse brutorum perfectorum; utpote intersensitivas perfectior; ergo, &c.

Probatur quintò. In brutis perfectis vehemens operatio in una parte corporis, impedit operationem in alia parte corporis. Atquisi alia pars animæ esset in una parte corporis, & alia pars animæ in altera parte corporis; tunc una non impediretur in operatione sua ab altera: sicut una pars ignis extincta, non extinguit alteram; aut sicut unus ramus arboris aefactus, non impedit vegetationem alterius; aut sicut una pars serpentis secti, non impedit à sensatione tactus alteram partem; ergo, &c.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Quantitativa indivisibilitas, non convenit animæ rationali, ex ratione substantia; quia aliás etiam substantia ignis foret indivisibilis, non ex ratione principij viventis, seu animæ; quia aliás etiam arboris forma esset indivisibilis, nec ex ratione talis forma, nempe quod sit anima rationalis, quia aliás

liás Angelus non esset indivisibilis; ergo convenit ipsi ex ratione spiritus; ergo indivisibilitas est proprietas emanans ex ratione spiritus. Ergo implicat, ut indivisibilitas quantitativa, conveniat ulli animæ brutorum perfectorum; siquidem hæ non spirituales, sed materiales sunt. Resp: Dist. Cons. ergo ex ratione spiritus convenit animæ rationali esse indivisibilem, indivisibilitate entitativâ; quæ oritur ex independentia, ac immunitate à materia, & quantitate Con. indivisibilitate informativâ; quæ oritur ex ratione formæ, cuius modus informandi non est uniformis N. C. hæc enim convenit etiam formis brutorum perfectorum; ut ab experientia constat, & ratione probatum est. Dist. etiam Illatum primum: ergo indivisibilitas est proprietas secundò, aut tertio modò Con: quartò modò, ac convertibiliter N. Illat: porrò indivisibilitatem quantitatивam, quomodo cunque acceptam, non esse proprietatem quartò modò propriam, & convertibilem cum spiritu, inde patet: quia convenit etiam punto, cuius pars nulla. atque adeò licet omnis spiritus sit indivisibilis: non tamen omnne indivisibile est spiritus.

Objicies secundò. Corpus, in quo recipitur anima brutalis perfecta, est organicum, & quantitatè extensem, ac divisibile; ergo etiam ipsa anima debet esse extensa, & divisibilis.

quia quidquid recipitur, per modum recipiens recipitur. Ergo. Resp: N. C. quia aliás etiam anima rationalis esset extensa, & divisibilis. Sensus Axiomatis illius est: quod actus, seu forma, dum recipitur, communiceat subiecto perfectiones, quarum subiectum est capax; non autem, quod forma in subiecto recepta, debeat omnem proprietatem, ac imperfectionem subiecti contrahere. patet in anima rationali. Anima perfectè sensitiva, informat subiectum materialiter acceptum divisibile: subiectum formaliter acceptum indivisibile; quia subiectum animæ sensitivæ perfectæ, est corpus adaptatum præcipuis animæ operationibus exercendis.

Objicies tertio. Omnes formæ debent necessariò commensurari, ac proportionari materiae divisibili: quia omnis actus debet proportionari suæ potentiarum, seu subiecto; ergo etiam ipsæ debent necessariò esse divisibiles. Resp: Dist: A. debent commensurari, ac proportionari substantialiter, tanquam perfectibili perfectivum C. A. debent commensurari, ac proportionari quantitativè N. A. & C. si omnes formæ deberent commensurari materiae divisibili; deberet etiam anima rationalis esse divisibilis. Formæ uniformiter informantes commensurantur, ac proportionantur subiecto quantitativer; non autem informantes disfor-

sunt indivisibiles. 393  
dissimiliter: quales sunt animæ brutorum perfectorum.

Objicies quartò. Etiam bruta perfecta abscliso capite progrediuntur; ut de ariete testatur Commentator in 7. Phys. & de gallis Indicis testatur experientia. ergo pari ratione animæ illorum sunt divisibiles, quā aut insecta, aut imperfecta dicuntur habere animam divisibilem. Resp: N. C. tum quia ille motus perfectorum est longè languidior, motus vero insectorum, post scissionem sāpē est vegetor: tum quia ille motus est brevis; ergo potest refundi in spiritus vitales, qui dum copiosiores sunt, non mox avolant omnes; in insectis brutisque imperfectis, motus est diuturnior; duratque in multis usque ad occasum Solis. tum quia insecta minus abundant defecato sanguine, ac proinde paucissimos habent spiritus vitales; adeoque motus talis in spiritus residuos refundi nequit.

Objicies quinto. Forma, quæ dependet à materia, dum separatur à materia, corruptitur. Atqui omnis forma materialis (etiam bruti perfecti) dependet à materia; ergo dum separatur à materia (v. g. abscliso capite) corruptitur; sed non corruptitur tota; ergo secundum partem; ergo, &c. Resp: Dist: Maj. cum separatur à materia totaliter, & tanquam à subiecto ad aquato C. Maj. dum separatur à ma-

294 *Anima brutorum perfectorum*  
teria secundum quid, & tanquam à subjecto in-  
adiquato N. Maj; Dist. similiter C. Dum se-  
paratur à partibus minus principalibus, adhuc  
habet organa, per quæ exerceat operationes  
præcipias; ergo non corruptitur. aliter sit,  
si separetur à parte principali, quod cum cæte-  
ris habet arctissimam connexionem.

Objicies sextò. Omnis forma materialis  
accidentalis, sit divisibilis ratione subjecti, in  
quo recipitur; ergo etiam omnis forma mate-  
rialis substantialis. Resp: N. C. quia omnis  
forma accidentalis recipitur in materia inter-  
mediâ quantitate, quæ materiam facit forma-  
liter quantam. forma substantialis quæ talis,  
recipitur immediate in materia; neque mate-  
ria prius naturâ informatur quantitate: cùm  
forma substantialis essentialiter sit actus pri-  
mus physicus. ergo apparet, cur onines for-  
mæ materiales accidentales fiant extensæ, &  
quantæ; non item omnes substanciales.

Objicies septimò. Anima bruti perfecti,  
non educitur ex quavis parte materiae; ergo  
singulæ partes animæ educuntur ex singulis  
partibus materiae; ergo anima etiam bruti per-  
fecti constat partibus quantitatibus. Resp:  
Dist. A: non educitur tota totalitate virtutis,  
ex quavis parte materiae C. A. totalitate enti-  
tatis, ac essentia N. A. & C. Educurt tota  
anima bruti perfecti ex toto subjecto, idque  
primo

sunt indivisibles. 295  
primo ac per se; atque adeò respicit indivisim-  
totum subjectum, præcipuis sensationum or-  
ganis instructum.

Objicies octavò. Quando augmentatur  
v. g. leo; tunc ex accrescente nova parte ma-  
teriae, educitur nova pars formæ leonis; ergo,  
&c. A. prob. illam accrescentem partem ne-  
quit informare anima, quæ prius informabat  
cæteras partes materiae: quia alias anima leo-  
nis migraret de subjecto in subjectum; ergo.  
Resp: N. A. ad prob: iterum N. A. & Seq:  
sicut enim anima rationalis non migrat de  
subjecto in subjectum, quia pars accrescens  
unitur toti subjecto; sitque unum unitate con-  
tinuitatis cum materia præcedenti: ita de ani-  
ma bruti perfecti dicendum est; quia etiam il-  
lius subjectum formaliter sumptum, est cor-  
pus, præcipuis sensationum organis adapta-  
tum.

Objicies nondò. Si tota anima bruti perfe-  
cti esset in toto subjecto, & tota in qualibet  
subjecti parte; tunc anima bruti perfecti esset  
definitivè in loco; atqui res naturalis nequit  
definitivè esse in loco; ergo, &c. Resp: N.  
Seq: & Suppo: nulla enim anima in corpore est  
localiter, tanquam in loco; sed tantum est in  
corpore, tanquam in subjecto; cui proporcio-  
natur ut actus potentiarum, ut perfectibili perfe-  
ctum. Ratio est: tum quia locus deberet es-  
timari.

se divisus à locante : anima autem corpori unita non est ab eo divisa ; tum quia corpus est in loco ratione quantitatis. Atqui anima non est in corpore ratione quantitatis ; cum enim quantitas sit accidentis, presupponit naturā prius formam substantialem quam talem, ut conditionem ex parte materiae ; alias quantitas non esset entis adæquati ens ; ergo, &c.

Objicies decimō. Si anima est tota in qualibet parte, sequitur : quod quaelibet pars animalis, v. g. *leonis pes*, sit *leo* ; sicut quaelibet pars aquæ est aqua. Atqui Sequela est falsa ; ergo, &c. Sequela Maj: prob. animal, v. g. *leo*, nihil est aliud, quam anima leonis unita subiecto. sed in qualibet parte anima leonis esset unita subiecto ; ergo quaelibet pars leonis esset *leo*. Resp: hōc argumentō etiam probari contra Adversarios, quamlibet partem hominis esse hominē ; quia in qualibet parte hominis, v. g. in pede, anima rationalis est unita subiecto. In forma N. Seq: ad prob: R. cum PP. Conimb: in 2. de An. c. 1. q. 9. a. 3. D. Maj. animal, v. g. *leo*, nihil est aliud, quam anima leonis, unita subiecto adæquato C. Maj. quam anima leonis, unita subiecto inadæquato N. Maj. Dist. similiter Min. & N. C. licet anima tum rationalis, tum bruti perfecti, sit una simplex entitas, quantitativer indivisibilis ; est tamen vir-

tute

tute multiplex, & divisibilis ; ergo ut tribuat denominationem hominis, aut leonis simpli- citer, requiratur, ut sit subiecto unita ; cui tri- buere possit virtutes, ac potentias, homini aue leoni, proprias.

Replicabis. Anima ex definitione sua est a- etus corporis organici ; atqui singulæ partes non sunt corpus organicum ; ergo anima to- ta non est in singulis partibus. Resp: Distin: Maj. anima est aetus corporis organici, ut sub- jecti adæquati C. ut subiecti inadæquati N. Maj. C. Min. Dist. C. ergo anima tota non est in singulis partibus, ut in subiecto adæ- quato C. ut in subiecto inadæquato N. C. Anima bruti perfecti respicit corpus organi- cum indivisim, ut subjectum sui adæquatum.

Instantia iterum est in anima ra- tionali.





## THEISIS V.

**Anima rationalis est spiritus.**  
Ratio autem formalis spiritus, est immunitas à materia & quantitate.

*Primum tenent Orthodoxi, & Peripatetici omnes; cum Aristotele. l. 3. de An. t. 4. & s. D. Thom: ibidem Lect. 7. Et 1 parte. q. 75. n. 2. Alterum itidem cum Aristotele, ac D. Thoma, P. Suarez. l. 1. de An. c. 9.*

§. I,

*Refutantur aliorum sententia de conceptu spiritus.*

**D**ico primò. Ratio spiritus non consistit in indivisibilitate; hoc est: non ideo substantia aliqua est spiritualis formaliter, quia est indivisibilis in partes integrantes; ut P. Hurtado Disp. 2. de Anima S. 3. Subs: 4. voluit.

Probatur ratione: quia ratio formalis spiritus debet esse convertibilis cum substantia spirituali. Atqui indivisibilitas, non est convertibilis cum substantia spirituali; quia omnis forma,

forma, præter quantitatem, est ratione sui, & secundum se indivisibilis. Item punctum est indivisible; & tamen non est substantia spiritualis.

Confirmatur. In principijs D. Thomæ, ac Aristotelis, prædicatum differentiale, constitutens formaliter essentiam spiritus, debet esse primum in conceptu spiritus, quæ talis; atque indivisibilitas, non est primum in conceptu spiritus, quæ talis; ergo. Min. prob: Indivisibilitas emanat ex immunitate à materia quanta: nam prima radix extensionis, & divisibilitatis, est materia quanta; ergo immunitas à materia quanta, est prima radix indivisibilitatis; ergo, &c.

Dico secundò. Ratio spiritus, non est penetrabilitas cum alio ejusdem speciei; ut voluit P. Arriaga h[ab]c Disp. 1. Sect. 4. Subs: 6.

Probatur: quia prius est in se habere partes, & intrâ se, quod formaliter provenit à quantitate: quam non posse penetrari cum altero, & non habere partes intrâ aliud extra se; ergo impenetrabilitas non est prima radix ceterorum, quæ in essentia corporis, quæ talis, reperiuntur; ergo nec penetrabilitas est essentialis differentia spiritus.

Confirmatur. *Esse impenetrabile* cum altero, est exigere, nè cum altero sit in eodem loco; ergo prius est esse quantum, seu corpus, quam

esse impenetrabile. nam prius est esse rem constitutam intrà se: quā exigere, ut ab eodem loco excludatur aliquid sibi extraneum; ergo ratio corporis, non consistit in impenetrabilitate; ergo ratio spiritus, non consistit in penetrabilitate.

Accedit: quod ipsi Adversarij admittant in intensione duos gradus homogeneos penetrati inter se; imò quascunque formas materiales, à materia, & quantitate separatas, posse penetrari inter se; ergo, &c.

Dico tertio. Essentialis differentia spiritus, quā talis, intrinsecè constitutiva, non est intellectivum; ut volunt plurimi Recentiores. Probatur: quia esse intellectivum, est formalissime esse operativum; atqui operativum, quā tale, est prædicatum respectivum; ergo, &c. Sed respectiva fundantur in absolutis; adh̄que absolute sunt priora respectivis; ergo, &c. Ergo esse intellectivum non est prædicatum spiritus quā talis constitutivum; ergo non est differentia essentialis metaphysica spiritus, quā talis.

Confirmatur. *Essere intellectivum, est esse cognoscitivum independenter à materia, quantitate, & accidentibus materialibus;* ergo præsupponit esse independens ab illis. nam operari præsupponit esse: & modus operandi sequitur modū essendi; ergo esse intellectivum, non est

est primum prædicatum (spiritus, quā talis; ergo, &c.)

## §. II.

*Deciditur in quo consistas ratio spiritus.*

Dico quartò. Differentia essentialis, spiritus quā talis metaphysicè constitutiva, est positiva independentia, tum in esse, tum in conservari, à materia & quantitate. Ita P. Suarez. l. 1. de Anima. c. 9. &c.

Probatur. Ratio spiritus consistit in eo, per quod substantia spiritualis formaliter differt, & opponitur substantiæ corporeæ. Atqui per positivam independentiam à materia & quantitate, substantia spiritualis formaliter differt, & opponitur substantiæ corporeæ; ergo. Min. prob: inductione omnium, quæ corporea vocamus. dependent etenim à materia, & quantitate, tum in esse, tum in conservari; ergo per independentiam à materia, & quantitate, differt, & opponitur substantiæ corporeæ; ergo, &c.

Confirmatur. Ratio formalis spiritus consistit in eo, quod est primum prædicatum; ex quo metaphysicè emanant, quæ in spiritu, quā talis, reperiuntur. Atqui positiva independentia à materia, & quantitate, est primum prædicatum, ex quo omnia emanant, quæ in spiritu, quā tali, reperiuntur; v. g. esse indis-

visibilem, esse impenetrabilem, esse intellectivum, &c. quia per quantitatem constituantur partes extra partes; sicutque formaliter divisibilis in partes integrales; ergo positiva independentia à materia, & quantitate, est radix indivisibilitatis. Deinde: impenetrabilitas ostenditur ex quantitate vñ cuius corpus formaliter commensuratur loco, & connaturaliter excludit aliud corpus ab eodem loco; ergo è contrario, independentia à materia, & quantitate; est radix penetrabilitatis. Denique ut constat ex D. Thoma I. p. q. 14. a. 1. gradatione facta, quod creatura min⁹ dependet à materia, & quantitate, cò magis, & perfectius sunt cognoscitivæ; & Ratio à priori est: quia omne cognoscitivū est receptivum formarum extra se positarum; adeoque non debet limitari, aut determinari per formas intrā se receptas; sed debet habere aliquam amplitudinem, ac il-limitationem, ita, ut plurimum rerum formas, intrā se receptas, possit habere simul.

Unde Aristoteles I. 3. de Anima dixit intellectum intentionaliter fieri omnia; eò quod omnium rerum formas recipere possit. ergo intellectivum debet esse independentis à materia, & quantitate. cò riātque potentia est illimitatior, quod magis est independentis à materia & quantitate. Ergo independentia à materia & quantitate, est radix intellectivi.

S. III.

S. III.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. materia est independens à materia; cùm ipsa sit subjectum primum; & quantitas est independens à quantitate; nec tamen sunt spiritus. ergo. Resp: Dist. A. est independentis à materia, independentiā connexionis C. A. independentiā identitatis N. A. & C. spiritus est independens à materia, & quantitate, ita ut nec cum ipsis idem sit; nec in esse suo, ac conservari, dependeat per connexionem à materia, & quantitate; materia autem non distinguitur à se ipsa, licet cum alia materia non coextatur; idem est de quantitate; ergo, &c.

Objicies secundò. Independentia à materia, & quantitate, est pura carentia dependentiæ; ergo non potest constituere essentiam spiritus. Resp: N. A. sed est positivum prædicatum, ratione cuius formaliter substantia spiritualis constituitur independentis à materia, & quantitate; cásque ab essentia sua excludit. Sicut irrationale est prædicatum positivum, rationalis exclusivum.

Objicies tertio. *Intellectivum*, est prædicatum reliquis in spiritu deprehensis perfectius; ergo in eo statuenda est ratio spiritus; quia prædicatum perfectius, non potest emanare ab im-

ab imperfectiore. Rsp: Dist: A. est perfectius reliquis pertinentibus ad operationem C. A. pertinentibus ad constituendam essentiam metaphysicam spiritus N. A. & C. Intellectivum est perfectius volitivo, memorativo, &c. quia haec potentiae emanant ex intellectivo, quod est metaphysicè illis prius. Unde in intellectivo consistit essentia physica, seu natura spiritus: non autem essentia metaphysica. Ratio est: quia natura est prima radix respectiva ad operationes; essentia autem metaphysica spiritus, quæ talis, debet constitui per prædicatum absolutum; quod sit prima radix cæterorum, quæ in spiritu, quæ tali, reperiuntur. Atque ita explicandus est P. Suarez, dum Disp: 35. Met: S. 3. essentiam spiritus videtur statuisse in intellectivo; locutus enim est de essentia physica, prout significat naturam, seu principium primum operationis, spiritui proprium.

#### §. IV.

*Probatur animam rationalem esse spiritum.*

Dico quintò. Anima rationalis est forma per se subsistens; hoc est: quæ non accipit esse à materia, ut causa materiali; atque adeò est spiritus. est de Fide, ex Concilio Lateranensi, sub INNOCENTIO III. C. Firmiter, de Summa Trinitate; ubi dicitur Dominus DEUS

creásse

creásse ab initio naturam corpoream, & spiritualem, Angelicam & mundanam; deinde humanam, quasi communem, ex spiritu, & corpore constantem.

Probatur ratione. Proprietas sequitur suum fundamentum; & modus operandi sequitur modum essendi, ita, ut nec proprietas possit esse perfectior suâ radice, ac fundamento; nec modus operandi alicujus entis, modo ipsius essendi; ergo illud ens in essendo est spirituale, ac independens à materia, & quantitate, ut causa materiali; cuius proprietas, & modus operandi, est independens à materia, & quantitate, ut causa materiali. Subsumo: Atqui proprietates animæ rationalis, ac modus operandi primarius, sunt independentes à materia, & quantitate, ut causa materiali; ergo etiam ipsum esse animæ rationalis est ita independens. Subsumptum probatur. Proprietates animæ rationalis, sunt intellectus, & voluntas; modus operandi primarius, est intelligere, & velle; atqui intellectus, & voluntas animæ rationalis, est indepedens à materia, & quantitate; siquidem intellectus cognoscit DEUM, Angelos, virtutem, &c. intelligit universalia, à loco, tempore, quantitate, &c. abstracta; atque de his judicat, ratiocinatur, &c. Voluntas etiam amat DEUM, moveatur honestate virtutis, ac turpitudine vitij; ergo, &c.

## Solvuntur rursus Objectiones.

Objicies primò. Anima rationalis non inducitur in materiam, nisi bene dispositam; ergo anima rationalis dependet à materia, & quantitate. Resp: Dist: C. ergo anima rationalis dependet à materia, & quantitate, ut conditione, *sic quia non posset omnes operationes exercere* C. dependet à materia, & quantitate, tanquam causa materiali, & subjecto sustentationis, ex quo educatur N. C. anima in præcipuis suis operationibus (intellectione, volitione, &c.) non dependet à materia, & quantitate; ergo etiam existere potest extra materiam quantum; ergo, &c.

Objicies secundò. Qui habent organa corporis bene disposita, & abundant spiritibus animalibus, sunt ingeniosiores, & perfectius intelligunt; ergo intellectus per se dependet ab organis corporeis; ergo & anima rationalis. R. N. C. exinde enim sequitur, quod intellectus dependeat per accidens ab organis corporeis, propter statum praesentis vita, quod anima informat corpus. Imò intellectus dependet ab organis, non ut subjecto, sed tantum velut ab instrumentis presuppositis ad intellections; & formaticibusphantasmatum, quæ sunt objecta intellectionum.

Objici-

Objicies tertio. Potest spiritus dependere à corpore, ut objecto; ergo etiam potest dependere à corpore, ut subjecto sustentationis. R. N. C. quia dependentia ab objecto, est extrinseca, tanquam à termino, qui non ingreditur potentiam, sed tantum terminat ejus operationem. dependentia à subjecto sustentationis, est intrinseca; quia est dependentia in esse ipsius potentiae, ac operationis.

Objicies quartò. Anima rationalis est forma corporis; ergo per se ordinatur ad corpus; ergo per se dependet à corpore, ut subjecto. Resp: Dist: Illatum: dependet à corpore, ut subjecto informationis Con: ut subjecto sustentationis N. Illat: spiritus est essentialiter independens à materia, & quantitate, ut subjecto sustentationis, ex quo educatur, & esse suum accipiat, tanquam à causa materiali.

Urgebis. Si anima rationalis esset spiritus per se subsistens: nec dependeret à materia, ut subjecto informationis; ergo, &c. Resp: Dist: Seq: Ant: Si esset spiritus secundum speciem completam, & adæquatā C. secundum speciem tantum incompletam, & inadæquatam N. Seq: Antec: ad rationem spiritus per se subsistentis, sufficit: quod non dependeat à materia, ut causa materiali; utque extra materiam existere possit.

Objicies quintò. Intellectus longâ speculazione

latione non minus fatigatur, quam aliae potentiae corporeae. ergo non minus dependet ab organis corporeis, quam aliae potentiae corporeae. Resp: Nego Aut. non enim fatigatur intellectus, sed phantasia. quamdiu enim anima rationalis est unita corpori, intellectus cognoscit per conversionem adphantasma: atque adeo simul operatur phantasia, & aliae potentiae materiales, dependenter a quibus intellectui phantasmata praeparantur, & haec fatigantur: non verò intellectus, in se, & ratione sui.

\* \* \*

*THEISIS VI.*

*Anima rationalis ex natura sua est immortalis: estque vivens incorruptibile.*

*Ita Concilium Lateranense sub Leone X.*

*S. 8. Aristoteles 1. de Anima t. 66. 2. de Anima t.*

*21. 3. de Anima. t. 4. & 2 c. D. Thomas*

*ibidem. P. Suarez l. 1. de Anima c. I.*

*& alijs passim.*

§. I.

*Explicatur & Probatur nostra Conclusio.*

*P*robatur 1.° ratione S. Thom: t. p. q. 75. a. 6. Anima rationalis est forma per se subsistens; atque formae per se subsistentes sunt incorruptibles, ac immortales: quia non dependent per se ab ulla causa corruptibili; ergo, &c.

Probatur secundò ex capacitate intellectus, ac voluntatis: quia nec intellectus scientijs, ac veritatis notitiā, per vitam omnem satiatur, sed plus ultra inquirit; nullumque bonum mortale ac temporarium adimpleat hominis animalium, quamdiu in hac mortali vita degeneret;

ergo

ergo restat ipſi vita, post mortalitatis finem inchoanda.

**Confirmatur.** Anima habet aliquas operationes ſibi proprias, quarum non corpus, ſed ipsa eſt unicum, immediatum, & ſufficiens principium, ac ſubiectum; cujusmodi ſunt intellectiones, quibus cognoscit ens in communione, principia universalissima, conſluſiones Mathematicas, Logicas, &c. Angelos, DEUM Ipsum. item volitiones, quibus appetit bonum proximi ex Chatitate: jus ſuum cuique; tribuere ex Iuſtitia: honestatem vitæ ex alijs diuersiſſimis virutibus, &c. quæ omnia nec ſenſu percipi, nec experti poſtulent; licet ſenſus initium, & occaſionem quandam prebeant; quæ habitâ altius, intelligendo & volendo, aſſurgimus. ergo anima rationalis habet modum operandi, in quem corpus immediate non coinfliuit; ergo etiam habet eſſe, in quod corpus immediate non influit; ergo potest exiſtere etiam separata à corpore; ſiquidem modus optandi connaturalis, ſequitur ita modum eſſendi, cujuslibet rei, ut ille non poſſit iſto eſſe perfectior.

Probarū tertio. DEUS indidit animæ rationali connaturalē appetitum beatitudinis; de ratione ejus eſt perpetuitas: quia alijs potius eſſet miseria, quam beatitudo; ergo anima rationali indidit appetitum perpetuitatis: ut

connat-

connaturaliter appetat ſemper eſſe. ergo etiam perpetua eſt anima rationalis, cui appetitus iſte ſubordinatur; quia alijs fruſtraretur fine ultimo, ad quem ordinatur: arguereturq; insipientiæ. Autorem naturæ; qui ordinaret mediū ad finem naturaliter non obtinibilem. ergo, &c.

**Confirm:** Anima rationalis, naturali quādam propensione, ac elicto appetitu, fertur in aliqua ſic, ut ea averſari prudenter non poſſit, ſed potius vehementer deſideret; qua tamen in hac vita, corporique conjuncta, obtinere non poſteſt. Atqui iſte appetitus, eſſet insipienter à natura inditus animæ, tanquam irritus, vanus, & fruſtraneus; quia nunquam expleri poſſet, ſi anima interiret ſimul ac per mortem hominiſ separatur à corpore; ergo, &c. Maj: Prob: experientiâ compertum eſt, quod deſideremus ita eſſe felices, ut omni, ac ſummo abundemus bono, nec ullo angamur malo. deinde: DEUM, utpote rerum omnium Cauſam, clariuſ ardemus cognoscere; deinde etiam morte, jamjam imminentie, naturaliter adhuc propendemus appetitu elicto in bona quædam futura poſt depositum corpus; tanquam tunc ad nos etiam ſpectatura. ſiquidem nihil nobis appetimus, niſi ut aliquomo do noſtrum; futura autem noſtria tunc non ſunt, ſed à morte erunt. Hujusmodi bona ſunt memoria noſtri poſt morte; bona fama, celebri-

tas

tas nominis, & gloria ; amicorum, propinquorum, &c. commoditates, &c. ergo, &c.

Probatur quartò. Quò magis actiones animæ rationalis abstrahuntur à corpore, ut materia : eò perfectiores evadunt, ipsamque mentem magis perficiunt. ergo separatio animæ rationalis à corpore, non facit ipsam interire, sed potius perfici.

Probatur quintò. Ideo materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, quia est potentia ad omnes formas materiales. ergo à posteriori anima rationalis est ingenerabilis, & incorruptibilis, quia est potentia ad omnes formas intelligibiles, ac immateriales,

Confirmatur. Illud quoad entitatem suam, & ex natura sua, non est corruptibile : cui nullum ens est contrarium, eique nihil in coexistendo repugnat. Atqui animæ rationali nullum ens est contrarium, adeoque nihil ei in coexistendo repugnat; ergo, &c. Min: prob: anima rationalis omne ens intelligere potest & velle ; adeoque naturali quodam propensionis motu, potest in omnia, tanquam sibi sympathica, proportionata, ac veluti amica, tendere : potestque intellectu suo, quælibet entia, etiam physicè inter se contraria recipere, absq; contrarietate. Atqui nulla res potest naturali propensionis motu tendere in aliquid sibi contrarium, siue corruptivum : nec potest illud in se

*ex natura sua est immortalis.* 313  
in se quoquo modo innoxie recipere ; ergo, &c.

Probatur sextò. Laudabile est apud omnes Gentes, ac præmio dignum : amore virtutis, & in causa laudabili, mortem obire. Ergo est aliquod præmium correspondens animæ rationali, etiam post mortem ; quod præmium si transitorium, ac temporarium esset, contemni deberet ; quia tantò magis animam affligeret, quantò magis voluptate afficeret. Semper enim in metu esset animus, nè tantum bonum perderet ; atque metus ille statum potius faceret miseriaz, quam beatitatis.

Probatur septimò. Toti humano generi insita est quædam cura ac solicitude, famæ, honoris, gloriæ, etiam post mortem eventuræ : ergo anima perennat etiam à corpore separata. Nec enim est aliquid, quod connaturaliter durationem determinet potius ad hoc, quam aliud tempus ; cum anima rationalis contrariò careat ; cum à subjecto sustentationis independens sit ; cum à Causa solùm Æterna dependeat in conservati.

Probatur octavò. Persuasio, animum esse immortalē, naturaliter inducit nos ad cultum DEI, Virtutis, &c. ad resistendum vitijs &c. contraria persuasio, contrarium efficit ; ergo persuasio immortalis animæ, inducit ho-

minem ad perfectionem sui: persuasio mortalis, abducit; ergo illa est vera, hæc falsa.

Confirmatur. Rationis ductu, & eorum, quos sapientissimos Mundus habuit, legibus obligamur ad virtutum officia, & vitorum famam; cùm tamen virtutes arduæ sint, ac difficiles. sic Temperantia arcet voluptates corporis: Justitia multa detrahit propriæ utilitatí: Fortitudo non raro mortem oppetere suadet, &c. ergo superest vita animæ, post mortem hanc temporalē, ut neglecta hic bona, animæ rationali compensentur. Cons: prob: alias stulte sectaremur virtutes, & vitia vitaremus; quia in hujus vita commodis, voluntatibus, &c. constitutus esset ultimus finis noster, quem sectari sapientis esset; perdeat stulti, &c. ergo, &c.

Probatur nond. Datur DEI Providentia; estque DEUS Justus, ut fert omnium Nationum consensus; quæ in afflictionibus naturali quodam instinctu Numen invocant; ergo anima rationalis est immortalis. C. prob: Impij per totam vitam sæpe prosperantur; innocentes, probos, ac bonos tyrannicè supprimunt; ergo debet post hanc vitam temporariam vivere anima, ut demeritorum supplicia, meritorum præmia, à justo Retributore percipiat.

Probatur decimò. Naturali quodam instinctu horremus in cœmeterijs, & ossuarij domi-

bus pernoctare; cadavera vero brutorum non ita horremus; ergo rationalis instinctus dicatur, aliquid ab anima rationali, etiam corpore deserto, metuendum, agi posse; non item ab anima bruti; ergo, &c.

## s. II.

### Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Ecclesi 3. dicitur: *unus est interitus hominum & jumentorum*; ergo, &c. Resp: cum Divo Hieronymo: sermonem ibi esse de interitu corporis humani, non de anima. D. Thomas respondit: Salomonem loqui in persona impiorum. vide S. Thomam. Q. Disp: de Anima a. 14. & 2, contra Gen: c. 30. & 81.

Objicies secundò. Sophronius in Epistola, à Concilio 6. Constantinopolitano approbata, inquit: animam esse immortalem per gratiam; ergo, &c. Resp: cum communi: per gratiam intelligi gratuitam Creationem; quia donum DEI gratuitum est, quod creaverit animam.

Objicies tertio. Anima rationalis potest suscipere contrarias opiniones; amorem & odium. Arqui quod potest suscipere contraria, est corruptibile; ergo, &c. Resp: Dis: Min: quod potest suscipere contraria, repugnantia ipsi suscipienti. C. Min. pugnantia tantum in-

ter se mutuò N. Min. & Con. opiniones contrariæ, amor & odium, &c. pugnant inter se; non autem repugnant animæ. quia cùm anima formas intentionales rerum in se recipiat; à singulis perficitur. sic etiam materia est incorruptibilis, licet sit susceptiva contrariorum, inter se repugnantium.

Objicies quartò. Quæ sunt ex nihilo, posse sunt redire in nihilum. Atqui anima rationalis sit ex nihilo; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: per easdem causas, à quibus sunt C. Maj: per alias N. Maj: quæ creantur, à Solo DEO producuntur; atque ad eò à nulla causa naturali secunda reduci possunt in nihilum.

Addo doctrinam S. Thomæ 1. p. q. 75. a. 6. sicut dicitur aliquid posse creari, seu creabile, non per potentiam passivam intrinsecam, sed solùm per potentiam activam Creatoris; ita posse annihilari, non importat in creatura potentiam intrinsecam ad non esse, sed tantum potentiam Creatoris, potentis non ultrà influere in esse. Posse tamen corrumphi dicitur per hoc, quod ei insit potentia ad non esse.

Objicies quintò. Licet anima rationalis sit naturâ suâ immortalis respectu causatum secundatum; non est tamen sic immortalis respectu Causæ Primæ: quia non est magis supra vires Omnipotentiæ Divinæ, destructio animæ rationalis, quam irrationalis; ergo, &c.

&c. Resp: N. A. ad prob: Dist. Ant. non est magis supra vires Omnipotentiæ DEI, ut absoluti Domini C. A. ut Autoris naturæ; in quantum Se Se accommodat rerum creatarum exigentij N. A. & C. Ceterè si illud dicitur naturaliter fieri, quod non superat Omnipotentiam DEI, etiam extraordinariam, & absolutam; tunc nullum dabitur miraculum, ergo illud recte dicitur non fieri naturaliter, quod non fit per Omnipotentiam DEI ordinariam, ut Autoris naturæ.


Objicies sextò. Sicut Potentia DEI ad producendum, supponit possibilitatem creaturæ: ita Potentia ad destruendum, supponit creaturæ destruibilitatem; ergo si DEUS animam potest destruere, anima est destruibilis. Resp: N. Suppositum: quod Potentia DEI presupponat possibilitatem creaturæ: quia per Potentiam DEI productivam, creatura denominatur extrinsecè possibilis; nec habet, priusquam producatur, aliquam possibilitatem passivam intrinsecam, à Potentia DEI activa distinctam. Sed transmissio interim A. Dist: Cons: est destruibilis absolute C. naturaliter N. C. jam dixi: DEUS ut absolutus Dominus, potest annihilare animam; naturaliter, & ut Autor naturæ, accommodando se exigentij rerum, non potest.

Objicies septimò. Anima rationalis essentialiter est actus corporis; ergo non potest existere extra corpus; ergo per accidens corruptitur, pereunte connaturaliter corpore. Resp: Dist. A. essentialiter est actus corporis, in actu primo C. A. in actu secundo N. A. & Constat: essentiale prædicatum animæ est, quod posse informare corpus; non autem est illi essentiale actu informare. neque enim hoc formæ materiali essentiale est; ut patet in quantitate Eucharistica.

A. M. D. C.



# EX META- PHYSICA.



# THEISIS I.

**E**ns possibile, antequam a-  
ctu producatur, nihil est in se  
intrinsecè, ac realiter. atque adeò pa-  
ssiva possibilitas creaturæ, æterna, ac necessaria,  
est denominatio purè extrinseca, intentiona-  
lis; proveniens ab Idea, ac Omnipoten-  
tia D E I, ut productiva crea-  
turæ.

*Ita S. Thomas. 1. p. q. 9. a. 3. q. 3. de  
Potentia. a. s. 1. contra Gentes. c. 66. &c; alibi.  
P. Suarez. D. 31. Metaph. S. 2. P. Anton: Pe-  
rez. D. 1. de Scientia DEI. c. 9. P. Martinus  
Esparza. q. 15. a. 1. P. Sylvester Maurus.  
q. 47. Logica; & alij.*

s. I.

*Explicatur & Probatur nostra Thesis.*

**P**robatur primò. Ens in se intrinsecè æter-  
num, ac simpliciter necessarium, ex con-  
ceptu

*nihil est reale intrinsecum.*

321

ceperu suo, est purum, summūque bonum.  
Atqui ens purè, ac summè bonum, est D E U S;  
ergo, &c. ergo possilitas, ac essentia ab æ-  
terno, quæ esset ens æternum ac necessarium,  
esset D E U S. Maj: prob: ens in se æternum,  
ac necessarium, non potest terminare pruden-  
tem fugam voluntatis, ac displicantiam; er-  
go non includit aliquam imperfectionem; er-  
go includit omnem perfectionem: quia inter  
contradictoria non datur medium. Cons. pa-  
tet: quia sicut falsitas est objectum adæquatum  
dissensūs, & veritas assensūs; ita malum, seu  
imperfectio, est objectum adæquatum fugæ  
voluntatis, & bonum prosecutionis. A. prob:  
primò. Nemo potest prudenter fugere, quæ e-  
vitare non potest. Atqui ens æternum, seu  
simpliciter necessarium, est inevitabile; ergo,  
&c. secundò. Nemo prudenter, etiam inef-  
ficaci affectu, vult abesse illud objectum, si-  
nè cuius præsentia, nullum potest bonum ac-  
quirere: nullūque malum evitare; quia o-  
mnis prudens displicantia, seu affectus, etiam  
inefficax, quò quis vult aliquod objectum ab-  
esse, ordinatur ad aliquod bonum acquirendum,  
vel ad aliquod malum evitandum. At-  
qui sinè ente simpliciter necessario; seu tali,  
quod implicat abesse, nullum prorsus bonum  
acquiri potest: nullūne malum evitari; er-  
go, &c.

O 5

Proba-

Probatur secundò. Implicat, ut aliquid prædicatum, significans perfectionem realem, æternam, necessariam, improductam, independentem à DEO, realiter identificetur creaturæ; quæ secundum existentiam suam realiter est contingens, producta in tempore, dependens à DEO, &c. Atqui juxta Adversarios, possilitas identificatur realiter creaturæ; ergo implicat, ut possilitas significet perfectionem realem, æternam, necessariam, improductam, &c. Major videtur esse evidens: quia implicat, ut ea realiter identificantur, quæ se immediatè evertunt; sibique opponuntur. Atqui esse necessarium, æternum, independens à DEO; & esse contingens, productum, que in tempore, dependens à DEO; se se evertunt, ac sibi opponuntur; ergo, &c.

Probatur tertio. In Sententia Adversariorum, nullum ens produceretur ex puro nihilo; nec posset in purum nihilum reduci à DEO; quia præsupponeretur, & remaneret possilitas, quæ esset aliquid reale, contradistinctum à DEO. Ergo DEUS nihil posset create, aut annihilare; siquidem juxta SS. PP. creatio est totius entis, secundum totam omnino ejus realitatem, ex nihilo, per datam existentiam, productio. Atqui Sequela est falsa; ergo, &c.

Confirmatur primò. Quidquid realiter est;

vel

vel est ens à se, vel ab alio; id est: vel DEUS, vel creatura. ergo si possilitas creature, antequam existat, est aliquid realiter; vel est à se, adeoque DEUS; vel ab alio, adeoque creatura. Atqui juxta Adversarios essentia creaturæ, seu possilitas æterna, non est DEUS; ergo est creatura. ergo aliqua creatura fuit ab æterno: quod est contra Fidem; & repugnatiam dedi in QQ. de Cœlo, & Mundo.

Confirmatur secundò. Illa possilitas creaturarum, vel est aliquid ultra nihil, vel non est aliquid ultra nihil. si non est aliquid ultra nihil: habetur intentum. si est aliquid ultra nihil: vel est factum à DEO, vel non est factū. si est factum à DEO: per existentiam à DEO datum factum est, atque ex nihilo extractum; ergo creatura aliqua fuit ab æterno, & quidem necessariò: quia essentia rerum, & possilitates sunt necessariae. si autem factum non est: ergo DEUS est; quidquid enim est, & factum non est, DEUS est.

Confirmatur tertio. Possibilitas illa passiva realis, est aliqua perfectio; atqui possilitas passiva, juxta Adversarios ( seu essentia) non est aliquid dependenter à DEO; ergo illa perfectio non est dependenter à DEO; ergo illa perfectio est à se, & improducta; ergo est DEUS.

§. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò cum Scoto. Cuilibet potentia activa intrinsecæ, debet correspondere potentia passiva intrinseca. Atqui Omnipotentia DEI est potentia activa DEO intrinseca essentialiter, potens facere, quidquid est possibile; ergo debet illi correspondere potentia passiva intrinseca, seu aliquid intrinsecè possibile. Resp: Dist: Maj: cuilibet potentia activa, quæ non est virtus productiva ex nihilo C. Maj: quæ est virtus productiva ex nihilo N. Maj. Dist: similiter Min: & N. C. Virtus, quæ non est creativa, seu productiva ex nihilo; præsupponit potentiam passivam, in quam agat, & ad quam ordinetur. Sic omnia agentia creata præsupponunt materiam primam, &c. DEUS autem, utpote Creator, per actionem Suam constituit Sibi libere terminum; adeoque in actu exercito producit ipsam potentiam passivam.

Objicies secundò. Debet dari ratio: cur DEUS possit producere hominem, & non possit producere hirco-cervum. Atqui non est alia ratio, quam quod homo sit intrinsecè possibilis: hirco-cervus autem sit intrinsecè impossibilis; ergo, &c. Resp: Dist: Maj: debet dari ratio desumpta ex Ipso DEO C. Maj. desum-

desumpta ab aliquo extra DEUM N. Maj. N. etiam Mi. Nihil de homine, quæ tali, est actu ab æterno; ergo non est aliquid homini intrinsecum, ex quo desumatur ratio intrinseca possibilitatis. Ratio profundior est: quia DEUS est Prima Causa, Prima Ratio, Prima Veritas, Prima Idea, Primum Exemplar omnium, quæ extra DEUM sunt. Ergo implicat, ut detur alia ratio causalis, veritas, idea, &c. à DEO distincta; dependenter à qua DEUS possit producere e. g. Petrum; & non possit producere vulp-anserem, &c. quia si daretur alia ratio à priori; tunc DEUS esset Prima Ratio, Veritas, Idea, &c. & non esset. Dum ergo horum assignamus rationem; ea desumuntur vel à consequenti: vel accipitur in sensu formalí, ac identico; estque solum explicatio. sicut dum dicimus Petrum ideo esse hominem, quia est animal rationale.

Objicies tertio. Homo per se ipsum, & essentialiter, non est impossibilis: quia aliás homo nunquam produci posset; ergo per se ipsum, & essentialiter, est possibilis: quia inter contradictoria non datur medium; ergo, &c. Resp: N. C. quia hæc non sunt contradictoria & utraque enim est affirmativa; cùm copula *principalis*, sive *modus propositionis* affirmetur. Hæc essent contradictoria: homo essentialiter est possibilis; homo non essentialiter

*est possibilis.* Secunda propositio vera est; sed non evincit Consequentiam. Homo existens per suum esse intrinsecum, seu per existentiam, denominatur *existens*: sed per Omnipotentiam extrinsecè denominatur *possibilis*.

Objicies quartò. Una eadēque forma, non potest tribuere denominationes diversas, ac oppositas; nisi subjecta sint diversa. Ergo Omnipotentia DEI, non potest denominare hominem *possibilem*, & chimæram *impossibilem*; nisi subjecta sint diversa; ergo chimæra differt ab homine possibili. Resp: Dist: Ant: Una eadēque forma *intrinsecè* denominans, & quæ presupponit subjectum C. A. una eadēque forma *extrinsecè* denominans, & quæ formaliter constituit sibi subjectum denominationis N. A. & C. sic eadem visio denominat *extrinsecè* parietem *visum*; & lignum e.g. *non visum*, &c.

Objicies quintò. Quando DEUS vult hominem possibilem producere, vult aliquid à Se distinctum; non enim vult producere Se Ipsum; ergo, &c. Resp: Dist. A. vult aliquid à Se distinctum constitutivè C. A. *presuppositivè* N. A. & C. èd ipsò quòd DEUS velit efficaciter producere hominem possibilem, constituit illum realiter *ens* per existentiam ipsi datam. Ergo non vult producere hominem *pure possibilem*.

Obj.

Objicies sextò. Creatura possibilis est nihil; ergo dum dico: *creatura est possibilis*; dico: *creatura est nihil*. Resp: Dist. A. creatura juxta possibilitatem int̄insecam, & passivam, est nihil C. A. juxta possibilitatem ext̄insecam, & activam, est nihil N. A. & C. Dum dico: *creatura possibilis est nihil*; nego & potentiam extrinsecam, seu activam creaturæ, esse aliquid; quod falsum est. Si negarem potentiam solū passivam, & ihtrinsecam, esse aliquid; verum esset.

Objicies septimò. Impossibile est, ut nihil accipiat existentiam; sed creatura possibilis potest accipere existentiam; ergo creatura possibilis non est nihil. Resp: Dist: Maj: impossibile est, ut nihil permanenter, seu manendo nihil, accipiat existentiam C. Maj: nihil desinenter N. Maj: Dist: etiam C. Ergo creatura possibilis non est nihil, in sua causa C. nihil in se N. C. èd ipsò Mundus definit esse nihil, quòd accipiat existentiam; per quam formaliter constituitur extra nihil.

Objicies octavò. Si possibilitas creaturarum esset DEUS; cloaca possibilis esset DEUS; sed; ergo, &c. Resp: Dist. Seq: Maj: si possibilitas passiva esset DEUS C. Maj: si activa esset DEUS N. Maj: C. Min. & N. C. Passiva possibilitas creaturæ purè possibilis, nihil est; ergo non est DEUS. Creaturæ realiter

realiter

*liter possibilis*, est creatura, pro certa temporis differentia existens; quæ est terminus Omnipotentiae Divinæ, eam in rerum natura constituentis; ergo neque sic est DEUS. Fato-  
r tamen, quod Omnipotentia Divina sit Ipse DEUS.

Urgebis. Cloaca passivæ possibilis, non est DEUS; ergo est realiter à DEO aliquid dis-  
tingue. Resp: N. C. cloaca passivæ possi-  
bilis, antequam producatur, nihil est in se; est  
que merissimum non ens; ergo non est aliquid  
actu distinctum à DEO. distinctio enim est  
proprietas entis, constituens aliquid, seu aliud-  
quid; & sicut Axioma sonat: distingui sequi-  
tur ad esse.

Objicies nondo. Non affirmo idem, dum dico: homo est possibilis; & dum dico: leo est possibilis. Atqui si possibilitas hominis, & leonis, esset Omnipotentia DEI: affirmaretur idem; quia DEI Omnipotentia est una, ca-  
démque; ergo, &c. Resp: Dist. Maj: non affirmo idem quoad rectum, & spectato sub-  
jecto hujus extrinsecæ denominationis Con.  
Maj. non affirmo idem quoad obliquum, seu  
spectatâ formâ, vel quasi formâ, extrinsecus  
denominante possibilitatem N. Maj. sic dum  
unâ visione hominem, & equum video; ho-  
mo visus, & equus visus, non sunt idem, quo-  
ad subjectum denominationis hujus extrinse-

cx;

cæ; sunt tamen idem quoad formam extrinsecus denominantem; quia hæc est una, ca-  
démque visio.

Objicies decimo. Ideo DEUS potest pro-  
ducere lapidem, quia est possibilis; ergo, &c.  
Resp: Dist. A. si ly ideo accipiatur in sensu for-  
mali, aut identico G. A. (sic etiam dicitur:  
ideo Petrus est homo, quia est animal rationale)  
si accipiatur in sensu verè causalí N. A. & C.  
Prima Causa non habet aliam sui causam;  
nec prima ratio habet aliam rationem ante se;  
ut patet ex terminis.

Urgebis. Ergo dum dicitur: ideo DEUS po-  
test lapidem producere, quia est possibilis; erit  
iste sensus: ideo DEUS potest producere lapidem,  
quia potest; atqui hæc Causalís committit cir-  
culum vitiosum; ergo, &c. Resp: Ideo lapis  
est possibilis, quia DEUS potest illum pro-  
ducere; non autem ideo DEUS potest lapidem  
producere, quia lapis est possibilis. Ergo non  
committitur circulus vitiosus. Dum autem  
dicitur: ideo DEUS potest, quia potest; signifi-  
camus: nullam esse causalitatem ultioriem  
possibilitatis, à DEO distinctam.

Objicies undecimo. Istæ sunt propo-  
sitiones æternæ veritatis: homo est animal rationale;  
brutum est animal irrationalis; ergo objec-  
tum harum propositionum est ab æterno.  
Atqui Objectum harum propositionum non  
est DE-

-

est D E U S ; ergo , &c. Resp: N. Subsum: Solus D E U S est veritas necessaria , ac æterna ; ut constat ex rationibus Conclusionis. dicuntur ergo propositiones esse æternæ , ac necessariæ , quoad connexionem prædicati cum subiecto ; quia sic in Sapientia , ac Ideâ Divina existunt; non quod in se , ac intrinsecè , sint aliquid à D E O distinctum.

Urgebis. Ergo omnes actus scientifici ( quia affirmant veritatem necessariam , ac æternam ) habent pro objecto D E U M . Resp: Dist. I. latum. pro objecto mediato C. pro objecto immediato N. Illat: Pro objecto immédiato habent illa prædicata , quæ formaliter , & explicitè repræsentant ; atque hæc in statu existentia temporalis sunt terminus realis Divinæ Omnipotentiæ. pro objecto mediato habent connexionem prædicati cum subiecto , quæ non nisi in Idea Divina est aliquid ; adeoque actus scientifici implicitè , virtualiter , in actu exercito , &c. affirmant ipsam Ideam , ac Sapientiam Divinam , quæ est Prima Veritas. Quod enim e. g. homo sit *animal rationale* ; prima as necessaria ratio est D E U S ; qui per se Ipsum excludit omnem chimæram. Atqui est chimæra hominem non esse animal rationale , sed irrationale ; ergo prima , ac necessaria ratio , ut non sit chimæra ( nempe homo irrationalis ) est Ipse D E U S .

Obji.

Objicies duodecimò. Omnipotentia DEI est à Se , & Improducibilis ; Anti-Christus purè possibilis , est ab alio , & producibilis. ergo convenient Omnipotentia Divinæ , & creaturarum possibilitati , prædicata contradictione opposita ; ergo distinguuntur realiter. Resp: Dist. 2. p. Ant. Anti-Christus purè possibilis , & secundum id , quod dicit in recto , est ab alio , & producibilis C. A. secundum id , quod dicit in obliquo N. A. Dist. similiter C. & N. C. Anti-Christus purè possibilis , dicit existentiam à nobis conceptam ; prout connotat Omnipotentiam Divinam , ut formam extrinsecè denominantem : non autem dicit aliquā possibilitatem sibi intrinsecam. Sedenim possunt opposita prædicata convenire formæ extrinsecus denominanti , & ipsi denominato ; si denominatum præter formam denominantem aliquid significat , vel in statu physico , vel in conceptu nostro existens. sic vestis est artefactum sartorium : non vero Petrus vestitus , seu habens vestem , &c. Ratio ulterior est : quia ex Sumulis constat: quod in omni prædicatione vera , attendatur ad identitatem prædicati cum subiecto quoad rectum. adeoque ut de duobus terminis complexis verificantur eadem prædicata ; requiritur : ut idem realiter objectum in recto , per utrumque terminum significetur.

THE-



## THEISIS II.

**Essentia extra causas posita,  
non distinguitur realiter ab exi-  
stentia.**

*Colligitur ex Aristotele 4. Met. t. 3. § 5.  
Met. t. 14. § 10. Met. t. 8. D. Thoma ibidem.  
Tenetque P. Franc. Suarez D. 31. Met. S. 6. P.  
Benedict: Perer. l. 6. Phys. c. 15. P. Thom. Com-  
pton. D. 5. Met. S. 1. cum potissima parte  
DD. Societatis IESV.*

## S. I.

*Probatur nostra conclusio.*

**P**RIMÒ. Aristoteles loco jamjam citato  
ait: *ens & unum, adjuncta rebus, nihil  
amplius significare, quam res ipsas; hoc est:  
quam essentias, extra nihilum, & statum pu-  
re possibilitatis, productas.* Atqui idem effi-  
cens, quod existens; ergo ly *existens* non signi-  
ficat aliquid realiter diversum à te ipsa; seu ab  
essentia, extra nihilum, statumque purae pos-  
sibilitatis, producta. Min: prob: tum auroli-  
tate Divi Thomæ Opus: de ente & essentia;

cum

*realiter ab existentia.*

tum ratione: quia ly *ens*, est transcendens;  
ergo tam patùm significat aliquid realiter su-  
peradditum essentiæ extra nihilum productæ,  
quam cætera transcendentia; nempe: *unū, verū,*  
*bonum.* tum quia *transcendens* ex conceptu  
suo est, quod res omnes extra nihilum, quo-  
cunque modo positas, pervadit, ita ut de sin-  
gulis prædicati possit; ergo, &c.

Probatur secundò. Essentia secundum Ad-  
versarios, est realis potentia ad existentiam,  
velut ultimam actualitatem in linea entis; er-  
go vel est potentia ad aliquid, enti essentiale:  
vel ad aliquid, enti accidentale. Aristoteles  
enim 8. Phys: t. 31. & 2. de Anima t. 55. so-  
lum potentiam essentiale, & accidentalem  
agnoscit. Si essentia est realis potentia ad exi-  
stentiam, ut aliquid essentiale enti; ergo exi-  
stentia est de essentia entis; ergo existentia nō  
est extra essentiam entis; ergo realiter non dis-  
tinguitur ab essentia entis. si vero est poten-  
tia ad existentiam, velut aliquid accidentale  
enti; ergo existentia est accidens; ergo nequit  
intrinsecè substantiam constitvere.

Probatur tertio. Vel actus existentiæ cum  
actu essentiæ constituit ens unum per se: vel  
tantum ens unum per accidens. Atqui nequit  
constituere unum per se; cum juxta Adversa-  
rios, ex duobus entibus in actu, non possit co-  
stitui unum ens per se: quemadmodum ar-  
guunt,

guire, dum materiae primae actum entitatem negant. Sed nec potest constituere unum ens per accidens; cum res existens sit terminus generationis substantialis; generatio autem substantialis non possit terminari ad unum ens per accidens; ergo, &c.

Probatur quarto. Si existentia distingueretur realiter ab essentia; sequeretur: quod generatio substantialis terminaretur ad duos terminos realiter distinctos; adeoque quod non sit unus numero motus; siquidem unitas numeralis cuiuslibet motus, desumitur ab unitate termini *ad quem*; ergo, &c. Sequitur: probatur terminus generationis substantialis, est forma substantialis; ut docet Aristoteles saepius. & ratio est: quia actualitas essentiae, in reali composite, per motum producitur. Sed etiam existentia est terminus generationis substantialis; siquidem haec definitur: quod sit mutatio de non esse ad esse; ergo si actus existentiae realiter distinguitur ab actu essentiae; cuiuslibet generationis substantialis duo erunt termini realiter distincti; ergo, &c.

Dices: Unum esse primarium; alterum vero secundarium. Sed contra. Existentia non potest dici terminus primarius; cum haec sit posterior forma, utpote effectus formalis ipsius. neque forma potest dici terminus primarius; quia si primo, ac per se, terminaretur genera-

generatio ad formam substantialiem: tunc formaliter habetur generatio, etiam seclusa (quomodounque id fieri possit) existentiæ; ergo posset esse aliquid formaliter generatum, quod non est formaliter existens.

Probatur quintò ratione Patris Suarez. Actualitas existentiae nihil est aliud, quam illa realis actualitas, vi cuius formaliter, intrinsecè, ac immediate, entitas aliqua constituitur extra causas; definit esse nihil, & incipit aliquid esse reale. patet hoc ex communi acceptione; & ex immediata, ac formalí oppositione inter *ens actu*, & *ens in potentia*: neque est conceptibile medium, inter *ens possibile*, & *existens*. Atqui per realem actualitatem essentiae, res creata constituitur formaliter, intrinsecè, ac immediate extra causas; & definit esse nihil, ac incipit esse aliquid reale; ergo, &c.

Confirmatur ex Eodem. Est essentia, seu actualitas essentiae, sufficit ad veritatem hujus propositionis de secundo adjacente: *essentia est*. ergo illa actualitas essentiae, est vere, ac realiter existentia. Consequentia patet: quia iuxta communem acceptiōnē, *ly est* de secundo adjacente, significat *actu esse in rerum natura*, quod omnes vocant *existentiam*. A, probatur per hoc esse essentiae actualis, formaliter & realiter, essentia constituitur extra statum possibilitatis: & distinguitur ab ente in

potentia ; ergo constituitur formaliter ens actu ; ergo ex vi illius actualitatis , seu esse talis essentiae , verè est ; ergo , &c.

Probatur sextò. Illa actualitas essentiae , cuiuscumque creaturæ , vel fuit in se intrinsecè ab æterno , improducta , independenter ab operatione DEI : vel cœpit in tempore , dependenter ab operatione DEI . si fuit ab æterno , intrinsecè , ac independenter à DEO ; fuit independenter à libera DEI determinatione ; ergo fuit ens necessarium ab æterno ; ergo talis actualitas essentiae est DEUS . vel saltē posset creatura gloriari , quod habeat aliquid esse reale ex se , à DEO non participatum ; neque creatura illa ex nihilo facta est à DEO , aut ab illo in nihilum reduci potest ; & sic nulla dabitur creatura. Si verò cœpit in tempore , dependenter ab operatione DEI , ut Causa Prima Efficientis ; ergo formalissimè vi actualitatis essentiae , terminat actionem causæ efficientis ; ergo per actionem illam formalissimè constituitur existens . quia effectio , seu produc̄tio , ex conceptu suo terminatur ad rem existentem ; ergo realiter idem est actus essentiae , & actus existentiae .

Probatur septimò. Ex ijsdem fundamentis , quibus probant Adversarij essentiam e. g. Petri , realiter distingui ab existentia : probatur etiam existentiae essentiam distingui realiter ab ex-

ab existentia Petri ; prout distincta ab essentia Petri , habet suam essentiam : quia habet aliquem conceptum essentiale , sibi peculiarem , exclusivum alterius essentiae ; ergo non tantum existentia Petri distinguitur realiter ab essentia Petri : sed etiam ipsa essentia existentiae , realiter distinguitur ab existentia ; adeōq; in qualibet re existente , continentur infinitæ essentiae , & existentiae distinctæ . nam existentia etiam ut distincta ab essentia existentiae , habet adhuc aliquam essentiam ; quæ item distinguitur à sua existentia : & hæc rursum distincta existentia , habet essentiam ab existentia distinctam ; ergo , &c.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Essentiae rerum fuerunt ab æterno : existentiae rerum non fuerunt ab æterno ; ergo , &c. Resp: Dist. A. essentiae rerum fuerunt ab æterno , in Idea Divina ; & conditionatè C. A. fuerunt ab æterno in se ; & absolutè N. A. & C. sic ab æterno fuit homo animal rationale , hoc sensu conditionato : si existeret homo , existeret animal rationale , conditio autem nihil ponit in re.

Objicies secundò. Existentia verè negatur de essentia . sic verè dico : Anti-Christi essentia non existit. Atqui nihil verè negatur de se ipso ; ergo , &c. Resp: Dist: Maj: existen-

tia verè negatur de essentia purè possibili C. de essentia extra causas posita N. Maj: essentia purè possibilis, extra DEUM nihil est; ergo existentia realis meritò de illa negatur, sed actualitas essentiæ, quæ ex nihilo trahit creaturam possibilem: ponitur illam extra causas; formalissimè ponit eam in statu existentiæ realis. Ergo essentia, ab existentia realiter non distinguitur.

Objicies tertio. Si essentia esset realiter idem cum existentia, implicaret creaturam non existere. sicut si visio esset realiter idem cum potentia videndi, implicaret oculum non videre actu. sed; ergo, &c. Resp: Dist. Seq: Maj: ex supposito, quod sit actu creatura C. Maj: ex supposito, quod sit creatura tantum in potentia N. Maj: Dist. secundò Maj: implicaret creaturam non existere, eò modò, quod est creatura Con. aliò modò Nego Maj: Si est creatura actu; existit actu: si est creatura conditionatè, & in potentia; existit conditionatè, & in potentia; quia essentia realis, & existentia realis, pari passu incedunt. Dist: tertio Maj: si essentia esset realiter idem cum existentia à se, & independenter ab alterius libera voluntate C. secùs N. Maj: & C. Et hinc peritur Disparitas: quare visio debeat esse actus realiter distinctus à potentia videndi; & non existentia, à potentia existendi: quia vi-

sio præsupponit potentiam physicam videndi, existentia non præsupponit potentiam passivam physicam existendi, sed tantum logical: non enim potest esse *realis* passiva potentia existendi, quin realiter actu existat.

Objicies quartò. Essentiæ rerum sunt necessariæ; quia aliàs, ut docet Aristoteles, de ipsis non darentur Scientiæ; existentia creaturæ cuiuslibet est contingens, & libete à DEO collata; adeoque existentiæ creaturarum non sunt necessariæ. Ergo essentiæ, & existentiæ cuiusvis creaturæ, convenient duo contradictiones; ergo distinguuntur realiter. Resp: indirectè: hoc argumento æquè concludi, quod essentia existentiæ, realiter distinguatur ab ipsa existentia; atque ita multiplicatum in entia in infinitum. Directè in forma Dist: I. patrem Ant: essentiæ rerum metaphysicæ, & quoad connexionem prædicatorum essentiæ, in Idea Divina, sunt necessariæ C. A. essentiæ rerum physicæ, extra causas, in statu reali productæ, sunt necessariæ N. Ant: & C. Essentia cuiuslibet creaturæ, prout terminat actionem sui effectivam, est æquè contingens, ac illius existentia: quia eandem DÉI Creatoris actionem liberam indivisim terminat; aliàs ejusdem numero actionis, essent duo termini realiter distincti; nempe actualitas essentiæ: & actualitas existentiæ.

Objicies quintd. Separabilitas physica, & realis, est signum distinctionis realis, saltēm in potentia: quia implicat idem realiter separari à se ipso. Atqui existentia creaturæ, est separabilis ab essentia. quia destructa rei existentiæ, non destruitur ejus essentia: essentiae enim rerum sunt indestruibles. ergo, &c. R. Dist: Min. existentia creaturæ est separabilis ab essentia intentionalis, & idealis; quæ existit in Idea Divina C. ab essentia reali; quæ est extra causas N. Min. Dist: similiter prob. & N. C. hoc sensu essentiæ rerum sunt aeternæ, indestruibles, &c. quod in Idea Divina e.g. *essentia hominis*, semper dicat connexionem hominis identicam cum animali reali, &c. Cæterum quando perit existentia rei: perit etiam physica, & realis ipsius essentia.

Objicies sextd. Quidditas, seu essentia per se, est indifferens ad universalitatem, & singularitatem. natura enim secundum se, nec includit universalitatem; quia aliæ nunquam posset fieri singularis: nec includit essentialiter singularitatem; quia aliæ nunquam posset fieri universalis. existentia vero semper, ac necessariò, est conjuncta cum singularitate rei; siquidem existere non convenit universalibus, sed singularibus; ergo, &c. Resp: Dist: 1. partem A. quidditas, seu essentia possibilis, est indifferens ad universalitatem, & singularitatem C.

tem C. A. quidditas, seu essentia extra causas, in rerum natura, per actionem sui effectivam posita N. A. & C. Combinatio terminorum, e. g. hominis cum animali rationali, secundum se, est indifferens ad utrumque statum; nempe ad logicum, ac intentionalem: ad physicum, ac realem. in statu tamen physico posita essentia, nequaquam est indifferens; quia implicat simul esse, & non esse in eodem statu. Resp: secundò N. C. quia inde non sequitur realis distinctio essentiæ productæ, & existentiæ. nam ipsa quoque essentia existentiæ, est indifferens ad statum intentionalem, ac physicum; & tamen non distinguitur realiter essentia existentiæ, ab existentia; nè multiplicentur entia in infinitum. Sic etiam juxta complures Adversarios, albedo est indifferens ad similitudinem: quantitas ad æqualitatem, &c. & tamen relatio similitudinis, non distinguitur realiter ab albedine, ut fundamento proximo: nec relatio æqualitatis, à quantitate, &c. Resp: tertid N. Suppositum Ant: quod natura, seu essentia secundum se, sit absolute, ac simpliciter. Ergo non potest dici, quod sit indifferens. prædicatum enim primum est esse: ly indifferens, est prædicatum adjacens, & secundum; ergo præsupponit primum; nempe esse simpliciter. Atqui essentia sine existentia realiter, ac in statu reali nihil est; ergo, &c. P. § Ob-

Objiecit septimò. Implicat, ut creatura sit suum esse; hoc enim est Soli DEO proprium, unde dicit de Se Ipso: *Ego sum qui sum.* ergo implicat, ut existentia, seu esse creaturæ, sit idem cum essentia ejus. Resp: Dist: A. implicat, ut creatura sit suum esse à se, inacceptum, à causa sui independens C. A. implicat, ut creatura sit suum esse ab alio participatum, nempe à causa sui effectrice N. A. & C. hoc Soli DEO est proprium, quod Ipse sit Suum *Esse simpliciter*, sicut addito termino restringente, ac limitante; omnis enim creatura est suum esse limitatum: quia est suum esse acceptum, &c. adeoque solum hoc sensu est *suum esse*: quod actus essentiae realis in creatura producta, non distinguatur realiter ab actu existentiae ejusdem.

Urgebis. Implicat, ut actus existentiae intert essentiam creaturæ; quia aliás essentialiter existeret: nec egeret determinante causâ ad essendum; ergo, &c. Resp: Dist: A. ut intret essentiam metaphysicam creaturæ C. A. essentiam physicam, & ut extra causas positâ N. A. & C. Creatura extra causas posita, in statu reali, includit existentiam; quia per existentiâ formaliter constituitur in statu physico, ac reali, sic etiam albedo est de essentia pâteris *albi*; quia per albedinem formaliter constituitur *pâties albus*.

Obj.

Objiecit octavò. Omnis existentia crea-ta, est esse receptum; ut docet Sanctus Thomas. ergo realiter distinguitur ab essentia: quia receptum distinguitur à recipiente; cùm sint relativè opposita. Resp: Explico S. Th: cum Dist: A. est esse receptum *ab aliquo*, nem-pe à causa sui effectrice participatum C. A. est esse receptum *in aliquo*, nempe in potentia physicè receptiva N.A. & C. esse subjecti pri-mi, non potest recipi in alio subjecto physicè præsupposito; quia aliás esset subjectum pri-mum, ut supponitur: & non esset, quia aliud subjectum receptionis præsupponeret ante se.

Urgebis. Omnis existentia creata compa-satur ad essentiam, ut actus ad potentiam. At-qui actus & potentia distinguuntur realiter: cùm sibi opponantur; ergo omnis existentia creata distinguitur realiter ab essentia. Resp: Dist: Maj: comparatur ut actus ad potentiam logicè, & ratione nostrâ C. Maj: ut potentia physica, ac realis N. Maj. Dist: similiter Min: & N. C. etiam animal est potentia logicè, & metaphysicè ad rationale; & tamen non dis-tinguitur realiter ab hoc: quia animal non est potentia realiter, ac physicè, rationalis rece-ptria.

Replicabis: *esse irreceptum*, est intrafecè infinitum, ac illimitatum in linea entis; quilibet enim actus intrafecè limitatur à potentia

sua, tanquam ab opposito suo. Ergo nisi omnis creatura habeat actum existentiae, physicè receptum in essentia, habebit esse illimitatum, ac intrinsecè infinitum. Resp: Dist: A: esse *irreceptum*, & *ab alio*, & *in alio*; est intrinsecè infinitum, ac illimitatum C. A. esse *irreceptum in alio*, receptum tamen *ab alio*, est intrinsecè infinitum N. A. Dist: etiam prob: adjunctam: quilibet actus *informans*, & qui est actus transitivè, limitatur à potentia sua C. A. quilibet actus entitativus, & qui est actus tantum intransitivè N. A. & C. esse *receptum ab alio*, limitatur per actionem sui productivam; quæ cum sit transiens ab agente, intrinsecè adhæret effectui; adeoque intrinsecè modificat, & determinat intrinsecè, ac limitat existentiam effectus. Limitatur etiam existentia effectus, per superadditam realiter subsistentiam; quæ terminat intrinsecè essentiam creatam: ut vñ hujus termini, excludatur omne aliud esse; ergo esse receptum ab alio, nequaque est intrinsecè infinitum, ac illimitatum; licet actus existentiae, non recipiatur physicè in actu essentiae.

Objicies nondò. Existere per suam essentiam, est perfectio simpliciter simplex; quia reperitur in D E O. Ergo impossibile est, ut creatura existat per essentiam suam. Resp: Dist: A. existere per suam essentiam *simplicer*,

citer, est perfectio simpliciter simplex C. A. existere per suam essentiam, *ut causaram*; sive per essentiam, à causa sui acceptam N. A. D. similiter C. & N.C. Fateor: non posse deulla creatura cum veritate affirmari *simplicer*, quod existat per suam essentiam; sed semper vel explicitè, vel implicitè debet restringi per adjectum terminum; nempe per essentiam, à *causa sui dependentem*; quia implicat cum veritate affirmari de creatura prædicatum, quod in suo conceptu nullam habet admixtam imperfectionem, seu limitationem, exclusivam alicujus perfectionis; cum quidquid est in creatura, sit limitatum, exclusivum alicujus perfectionis, nempe *a se itatis*.

Urgebis. Saltē existere per essentiam suam, est perfectio, quā major in linea entis dari non potest; ergo, &c. R. Ut autē: existere per suam essentiam simpliciter, sine limitatione C. A. existere per suam essentiam *causaram* N. A. in linea entis suā perfectio est, existere sine causa sui; quod Soli D E O convenit.

Objicies decimò. Nulla creatura est actus purus; ergo omnis creatura est composita ex actu, & potentia. si enim potentiam nullam involveret; esset actus purus: quia ubi nulla est potentia, nulla est imperfectio; ubi nulla est imperfectio, ibi mera est perfectio; ubi est mera perfectio, ibi est actus purus. Ergo omnis creatura saltē componitur ex essentia,

& existentia. Resp: indirectè: ergo hoc ipso essentia non distinguitur realiter ab existentia: quia juxta Adversarios, quæ constituunt cōpositum per se, sunt unum; quæ sunt unum per se, sunt idem realiter; quæ sunt idem realiter, non distinguuntur realiter; ergo cūm ex essentia, & existentia cuiusvis creaturæ, componatur unum per se: nullius creaturæ existentia realiter distingueretur ab essentia. R. directè, & in forma: N. Illat: in substantijs corporeis potentia physica est materia prima; in substantijs incorporeis (e. g. in Angelis) est compoſi- io, ex ente, & subsistentia: ex substantia tanquam actu primo, & operatione accidentalē, tanquam actu secundo. in omnibus denique entibus creatis est composi- tio metaphysica ex genere, & differentia. Cæterū sicut genus limitatur per differentiam, ut non sit infinitum, ac illimitatum; licet il- lud ab ista non distinguatur realiter (e. g. animal à rationali) ita etiam satis limicabitur creata essentia per existentiā; dummodo crea- ta essentia, metaphysicē, ac logicē, sit poten- tia: & existentia ejus, actus; licet realiter non distinguantur.

Objicies undecimō. Si existentia reali- ter identificaretur essentiæ creatæ; identi- ficaretur quoque Humanitati Christi. At- qui hoc est falsum; quia alias non posset ter- minari

minari à VERBO: cūm ens ultimatè, per ultimam actualitatem (nempe per existentiam) terminatum, ulteriùs non possit terminari; er- go. Resp: Nego Min. prob. Distin: non posset terminari à V E R B O in linea entis simpliciter, seu existentis C. A. in linea entis subsistentis, seu suppositi N. A. & C. VER- BUM Divinum terminavit Humanitatem, in ratione suppositi: non in ratione simpliciter exi- stentis; quia alias Humanitas Christi nullatenus fuisset creatura; aut geminam habuisset e- xistentiam.

Objicies duodecimō. Essentia est id, quod existit: existentia est id, quō res existit. Ergo existentia non existit per existentiam sibi reali- ter superadditam: sed se ipsā. Instantia est in unione, quæ non unitur per unionem distin- etam; item in actione, quæ non producitur per actionem sibi superadditam. Et ratio à priori est: quia formæ, quæ sunt ultimò de- terminativæ, non possunt habere ulteriore formam sui determinativam: sed sustinent se ipsis denominationem, quam tribuunt subje- ctis. Resp: C. totum neque enim admitto existentiam existere per superadditam existen- tiā; sed tantum Urgeo Seq: Ideo enim Ad- versarij distinguunt existentiam ab essentia creata; quia implicat creatura, quæ sit suum esse: & quæ non sit composita ex essentia, &c

existentia; & quia essentia est indifferens ad esse actu, & non esse actu. Atqui existentia est creatura; quia verè est aliquid oppositum nihilo: estque in rerum natura dependenter à DÉO Creatore; nec tamen est composita physice ex essentia, & alia existentia. Item existentia, antequam actu sit posita à causis, est indifferens, ut sit actu, vel non sit. Ergo vel de alijs rerum essentijs non urgent argumentas vel urgent etiam de essentia existentiae. Porrò: licet formæ ultimò determinativæ sustineant se ipsis denominationem, quam tribuunt subjectis: quando non sunt ipse pariter indifferentes ad eam denominationem, ac sunt eorum subjecta; secùs tamen, quando non ab similem ipsæ habent indifferentiam. Atqui existentia, antequam actu posita sit, non minus est indifferens ad esse actu, vel non esse actu, quam alia essentia; ergo si propterea in alijs essentijs, opus est superaddere distinctam existentiam; infero: ergo etiam ipsis essentiæ existentiae necessum erit superaddere distinctâ existentiam; & sic in infinitum.

Denique: dum S. Thomas Opusculo de ente & essentia c. 5. Quodl. 2. a. 4. in 2. Dist. 7. q. 1. a. 1. in ○, 2. contra Gentes c. 52. & alibi, docuisse videtur: esse creatum, distingui ab essentia ejus; vel intelligendus est de distinctione rationis ratiocinatæ: vel de existentia,

prout

prout est modificata per actionem productivam; quam admitto distingui ex natura rei ab essentia reali: cùm essentia realis sit terminus actionis; vel de distinctione reali subsistentiarum à natura. certū enim est, quod S. Doctor sapientus subsistentiam nomine existentiae intellexerit; ut constat ex 3. p. q. 19. a. 1. ubi ait: esse pertinet ad ipsam constitutionem persona. & in 3. Dist. 5. q. 1. a. 3. inquit: esse per se, est de ratione persona. Videatur etiam Opus: 48. c. 2. Quodlib: 2. q. 2. a. 4. in ○, Quodlib: 9. a. 3. clarissime verd. q. 21. de Verit: 2. 1. in ○.



ପ୍ରାଚୀନ ଶାସ୍ତ୍ରରେ କିମ୍ବା ପ୍ରାଚୀନ ଜ୍ଞାନରେ କିମ୍ବା

### THESES III.

Nec ens à differentijs, nec differentiæ ab ente, præcisione perfectâ, abstrahi possunt.

*Ita Aristoteles. 3. Met. c. 4. t. 10. S Th.  
q. i. de Veritate. a. i. P. Compton. D. 40. Log. S.*

4. P. Fonseca 4. Metaph: q. 2, c. 2. S. 4.

61

**Declaratur & Probatur nostra Thesis.**

**D**ico primò. Differentiæ, seu modi entis,  
non possunt perfectè abstrahi ab ente.

Probatur. Differentiæ in suo conceptu  
essentiali , non sunt nihil ; ergo sunt ens.  
C. patet ; quia *ens* & *nihil*, opponuntur sibi  
contradictoriè ; adeoque alterum necessaria-  
tiò verificabitur , de quolibet assignabili con-  
ceptu essentiali , seu ratione repræsentata. A.  
prob: si differentiæ entis realis essent nihil,  
tunc ipsum ens reale esset nihil ; atqui hoc im-  
plicat ; ergo. Seq: Maj: prob: Differentiæ , seu  
modi entis , e. g. *perseitas* in substantia , &c.  
est idem realiter cum ente ; ergo si *perseitas* ,  
&c. esset nihil ; tunc nihil , realiter esset idem

GUOYI

cum ente; ergo nihil esset realiter ens: & en-  
realiter esset nihil ; quod implicat.

Confirmatur primò. Substantia est essentia perfectior, quām accidens; sed non in eo, in quo convenit cum accidente; ergo in eo, in quo disconvenit; ergo per differentiam est perfectior, quām accidens; ergo differentia non est nihil; ergo differentia est ens essentia liter; ergo non potest differentia præscindi perfectè ab ente: quia ab eo differentia non potest præscindi, quod est de essentia differentiæ.

*Confirmatur secundò. Perseitas essentialiter constituit substantiam; inalietas constituit accidentis; ergo differentiae constituunt essentialiter ens reale; ergo essentia differentiae non est nihil; ergo essentia differentiae est ens; ergo differentia non potest perfecte praescindi ab ente.*

Confirmatur tertiad. Quidquid de differentia in sensu formalis potest praedicari, id formalissime involvitur in essentia differentiae; at qui *ens*, de quacunque assignabili differentia in sensu formalis potest praedicari. verissime enim dicitur: *perseitas*, quia talis, est opposita nihilo; *inalietas* est opposita nihilo, &c. ergo ipsi formaliter involvitur in essentia differentiae cuiuscunque; ergo non potest essentia differentiae adaequatè cognosci, quia concipiatur *ens*; ergo differentia non potest perfectè formaliter praescindi ab ente.

Confirmatur quarto. Quaecunque assig-  
bilis differentia entis, est essentialiter *una*; at-  
qui ubi est unitas, entis proprietas, ibi essen-  
tialiter est ens; nam *ens*, & *unum*, etiam in  
sensu formalis convertuntur. ergo ubicunque  
est differentia, ibi essentialiter est ens; ergo im-  
plicat concipere adæquatam essentiam diffe-  
rentiarum, quin concipiatur formaliter ens; ergo.

Confirmatur quinto. Implicit cognosci  
differentiam, quin eò ipso exercitè, & impli-  
citat, cognoscatur esse *cognoscibilis*; ergo implicit  
cognosci differentiam, quin exercitè, ac  
implicitè, cognoscatur ens; ergo implicit  
differentiam perfectè præscindi ab ente. Consi-  
prob: esse *cognoscibile*, & esse *transcendentaliter*  
*verum*, nihil aliud est: quam ipsum ens, ut  
relatum ad intellectum; ergo si cognitio per-  
fectè præscinderet differentiam ab ente, tunc  
cognosceret differentiam sive veritate tran-  
scendentali; ergo cognosceret differentiam, si-  
nè formalitate, quæ facit formaliter cognoscibilis.  
ergo cognosceret aliquid, quod non est  
formaliter cognoscibile. Atqui hoc in termi-  
nis repugnat; ergo, &c.

Dico secundò. Ens reale ut sic, seu adæqua-  
tè sumptum, non potest perfectè formaliter  
præscindi à suis differentijs.

Probatur primò. Quia ens ut sic, seu ens  
adæquatè sumptum, essentialiter involvit  
differentias; ergo non potest perfectè præ-  
scindi

scindi à differentijs. Conseq: est mani-  
festa ex dictis. Ant. prob: Ens adæquatè sum-  
ptum, dicit formaliter, ac essentialiter omne id,  
quod essentialiter est ens. Atqui differentiae  
sunt essentialiter ens, ut probatum est; ergo.

Probatur secundò. Si ens posset à suis dif-  
ferentijs perfectè præscindi; tunc illæ diffe-  
rentiae, ut separatae intentionaliter persestè ab  
ente, non essent ens; ergo non possent esse dif-  
ferentiæ entis; seu non possent dare enti cer-  
tum, ac determinatum esse: quia quod nihil est,  
non potest dare esse; nemo enim dat, quod  
nullus modò habet. Atqui differentiae ut tales  
dant enti certum, ac specificum esse; ergo  
ut tales sunt ens. ergo ens à suis differentijs  
non potest perfectè præscindi.

Probatur tertiod. Ens adæquatè sumptum,  
dicit in sua essentia omnem rationem entis;  
ergo involvit in sua essentia differentias. Con-  
prob: differentiae sunt formaliter, ac essentia-  
liter ens; ergo si non involveret differentias,  
aliquam rationem entis non involveret; ergo  
involvet omnem rationem entis, & aliquam  
non involveret: quæ sunt contradictoria.

Confirmatur primò. Si ens perfectè præ-  
scinderetur à differentijs, tunc differentiae es-  
sent extra ens, ab illis perfectè præcisa; er-  
go differentiae essent non ens; quia nihil est ex-  
tra ens, nisi non ens; ergo.

Confirmatur secundò. Si ens perfectè pos-  
set in-

set intentionaliter dividi à differentijs; tunc etiam posset contrahi per differentias, & facere compositionem metaphysicam cum illis; at qui hoc repugnat: quia implicat fieri compositionem metaphysicam, nisi contrahens superaddat aliquam rationem, rationi contrahibili. sed differentia nihil potest superaddere supra rationem entis; quodcumque enim prædicatum essentialie differentiæ, est formaliter ens, ergo.

Confirmatur tertio. Si ens perfectè præscinderetur à differentijs, tunc ens perfectè præscinderetur ab ente; ergo perfectè præscinderetur à se ipso. Seq: prob: differentiæ formaliter, & essentialiter, secundum omnia differentijs essentialia, sunt ens; ergo si præscinderetur à differentijs, præscinderetur ab ente.

### s. II.

#### *Solvuntur Objectiones.*

Obj: I.º cum Scoto. Differentiæ entis, nec sunt ens, nec nihil; sed sunt modi, quibus diversificatur ens. Resp: illi modi contrahentes, & diversificantes; aut sunt ens, aut nihil; quia inter contradictoria non datur medium, quidquid dixerit Scotus, valebit argumentum pro Conclusione allatum.

Dices. Potest præscindi ab utroque contradictorio. ergo potest concipi essentia differentiæ,

tia, licet nec concipiatur esse, nec concipiatur non esse. Resp: N. A. quia sic exvertitur primum principium, lumine naturali notum: *Quidlibet est, vel non est.* neque superesset ullus modus convincendi intellectum pertinacis. posset enim se cueri hoc Axiomate; quod præscindatur ab utroque contradictorio; ad eoque non necessariò, & essentialiter, alterum ex contradictorijs verum esse.

Fateor equidem, tam obscurè posse cognosci differentiam, ut in actu signato, & clarè, nec repræsentetur aptitudo, nec repugnanciam ad existendum. in actu tamen exercito, implicitè, & confusè, quandocunque cognoscetur differentia, cognoscetur esse, aut non esse; esse ens, aut nihil.

Objicies secundò. *Persitas* est differentia substantiæ: *inalietas* est differentia accidentis. ergo nisi differentiæ præscindantur ab ente; tunc solæ differentiæ erunt formaliter species. Resp: D. A. *Persitas* est differentia substantiæ, &c. si ly *differentia*, accipiatur laxè, & significet modum aliquem entis C. A. si ly *differentia* accipiatur strictè, & significet prædicatum determinans; generi superadditum N. A. S. Thomas q. 1. de Veritate a. 1. ait: nomine substantiæ, exprimi solùm specialem quendam modum entis; non autem significari aliquid enti superadditum. quod nomine entis

entis significabatur obscurius; hoc nomine perfectitatis explicatur clarius. Unde etiā propriè non dicitur substantia differre ab accidente; quia illa duntaxat propriè differunt, quæ in uno genere convenient. ens autem, juxta Aristotelem, non est genus. Sed Substantia, atque Accidens, sunt suprema genera; ergo Substantia, & Accidens, in nullo genere convenient. Substantia igitur & Accidens, per se sunt diversa; sicut differentia superaddita enti.

Objicies tertio. Dum probatur substantia per ens, ut medium terminum; nisi praescindatur ab ente, tunc probabitur idem per idem; ergo. Resp: Dist. A. probabitur idem per idem, eodem modo cognitum N. A. diversimodè cognitum C. A. nonne semper medius terminus est idem cum extremis; maximè cum ex definitione infertur definitum. ergo si ibi non probatur idem per idem vitiōsè, neque hic probabitur.

Objicies quartò. Perseitas, &c, inalietas, addunt aliquid enti, ut cum illo constituant diversa prædicamenta Substantia & Accidentia. Ergo modi entis non sunt formaliter ens; quia alias nihil adderent enti. A. prob: Substantia & accidens convenient in prædictato entis: & per illud additum disconveniunt perfectè; ergo perseitas & inalietas, addunt aliquid enti; quod ens non dicit formaliter in suo conceptu.

Resp:

Resp: N. A. ad probat: N. A. quoad ly perfectè, quia quæ perfectè differunt, in prædictato differentiali nullo modo convenient; sed solum disconveniunt in differentia. Atqui perfectas, & inalietas, non sunt nihil; ergo in quantum sunt differentiæ, sunt ens; ergo ipsæ rationes differentiales convenient aliquomodo in ente; ergo non faciunt accidens à substantia perfectè differre.

Objicies quinto. Passim concipimus aliiquid sub ratione enti; imò judicamus, & scimus esse ens: & tamen ignoramus, an sit substantia, an accidens, &c. ergo tunc praescindimus rationem entis, à substantia & accidente. Resp: primò. N. A. quia scire, est cognoscere clare. Atqui implicat eas clare cognoscere, quia cognoscantur ea, quæ ens involvit. Ergo dum clare cognoscitur ens, adæquatè sumptum; non ignoratur substantia, &c. quia ut probatum est, ens adæquatè sumptum, involvit substantiam, &c. Resp: secundò D. A. scimus esse ens secundum quid, & partiale T. A. scimus esse ens ut sic, & adæquatè sumptum N. A. nostra Conclusio procedit de ente ut sic, adæquatè sumpto. Resp: tertio. T. A. Dist. C. ergo tunc praescindimus rationem entis, præcisione formalí imperfetam C. perfectam N. C. Conclusio negat præcisionem formalem

malem perfectam, ita ut nec implicitè, & obscure cognoscatur substantia, &c.

Objicies sextò. Hæc est vera prædicatio: *substantia est ens*; ergo ens non dicit immediate, & formaliter, substantiam & accidens C. prob: si animal formaliter, & explicitè, dicit rationale, & irrationale; non posset prædicari de homine: quia includeret in se prædicatum repugnans homini. ergo etiam, si ens includeret formaliter substantiam, & accidens; non posset vere prædicari de substantia: quia includeret prædicatum substantię repugnans. Resp: Dist. A. hæc est vera prædicatio *substantia est ens*; si prædicetur ens particulare C. A. si prædicetur ens ut sic, & adæquate sumptum N. A. Dist. similiter C. ergo ens particulare non dicit immediate, & formaliter, substantiam & accidens C. ens ut sic, & adæquate sumptum N. C. hinc patet solutio ad prob:

Objicies septimò. Hæc prædicatio: *substantia est ens per se*; est diversa ab hac: *substantia est ens*. ergo secunda prædicatio enunciat ens præcimum à perfectate; alias non esset incompleta, & diversa prædicatio. Resp: Dist: A. est prædicatio diversa quoad modum repræsentandi C. A. quoad rationem entis repræsentatam N. A. & C. ista prædicatio: *substantia est ens*; repræsentat ex parte prædicati perfectatem implicitè, & obscure; quam hac:

*substan-*

*substantia est ens per se*; repræsentat explicitè, & clarè. Cæterum ly *formaliter*, duplice sensu accipitur; interdum, ut idem significet, quod *essentialiter*: alias, ut significet idem, quod *expressè*, & *explicitè*. juxta nos ens adæquate sumptum, *essentialiter* involvit differentias; non autem semper explicitè, & expressè. Illa quæ se *essentialiter* involvunt, possunt præscindi præcisione formalí imperfectā: non autem præcisione perfectā; pater ex sæpe dictis, & probabis.

Objicies octavò. *Vivens* potest perfectè præscindi ab *animali*; & tamen omne animal est *essentialiter vivens*; ergo etiam ens potest perfectè præscindi à differentijs: licet omnis differentia *essentialiter* sit ens. Resp: D. A. *vivens* potest perfectè præscindi ab *animali*, secundum quid, & inadæquatè accepto C.A. ab *animali* adæquatè accepto N. A. *animal essentialiter* duo dicit: ly *vivens*, ut genus; ly *sensitivum*, ut differentiam. potest ergo *vivens* perfectè præscindi ab *animali* quoad differentiam, seu quoad ly *sensitivum*; non autem ab *animali* quoad genus, seu quoad ly *vivens*. sic etiam animal potest præscindi ab homine, in quantum homo dicit rationale; non autem in quantum homo est animal. D. etiam 2. partem A. omne animal est *essentialiter vivens*, & aliquid amplius; nempe *sensitivum*:

vum: quod est differentia divisiva viventis, per additionem novæ perfectionis, quæ non est de essentia viventis C. A. est essentialiter vivens tantum, & nihil amplius N. A. & C. potest ergo vivens perfectè præscindi ab animali: quia non omnis formalitas, quæ est in animali, est essentialiter vivens. At verò omnis omnino formalitas, quæ est in differentijs, est essentialiter ens: cùm differentiæ entis non sint differentiæ per additionem perfectionis novæ, aut formalitatis; sed tantum per expressionem clarioris conceptus. Ens etiam ut fiat substantia, non indiget additione alicujus prædicati à se extranei, & quod non sit formaliter ens; sicut *vivens*, ut fiat animal, indiget necessariò additione alicujus prædicati, quod non formaliter est vivens; nempe *sensorius*.

Objicies nond. Ens non includit essentialiter differentias; ergo ens potest perfectè præscindi à differentijs. A. prob. si ens includeret essentialiter differentias; de quoquaque prædicaretur ens, de illo etiam prædicarentur differentiæ; ergo dum dico: *Petrus est ens*; prædico de Petro ens à se, ens ab alio; ens per se, ens in alio, &c. ergo. Resp: N. A. ad prob: Dist. A. de quoquaque prædicaretur ens ut sic, & adæquatè sumptum, de illo prædicarentur etiam differentiæ C. A. de quoquaque prædicaretur

catetur ens particulare, secundūm quid, & inadæquatè sumptum Nego A. & Con. quia de Petro solūm prædico ens particulare, & secundūm quid, seu inadæquatè sumptum. Dixi alias: in actuallī prædicatione nunquam verificari de particulari subjecto prædicatum universale, quæ universale; sive prædicatum sit univocum, sive analogum. ergo dum dico: *Substantia est ens*; non prædico ens ut sic universaliter; sed ens, quod est universale analogum, dico inadæquatè, & secundūm quid, verificari de substantia.

Sed cur non dicimus, hujus propositionis (*substantia est ens*) prædicatum esse ens secundūm se; sicuti hujus prædicationis: homo est animal; sensus est: quod homo sit animal secundūm se. Resp: ideo, quia omnia prædicata essentialia, quæ significantur nomine animalis, verificantur de homine; adeoque tota essentia animalis potest affirmari de homine. non verificantur autem omnia prædicata essentialia de substantia; quæ per ly *ens* adæquatè sumptum significantur, ergo, &c.

Objicies decimò. Potest intellectus esse certus, quod e. g. lux sit ens; & tamen dubitare, an lux sit accidentis, an substantia? quemadmodum dubitaverunt Veteres Philosophi. ergo conceptus entis est diversus à conceptu substantiæ, &c. ergo. Resp: Dist: Con. er-

362 *Ens non potest præscindi à differentijs.*  
go conceptus entis ex parte modi repræsen-  
tandi est diversus Con. ex parte objecti, seu  
rationis repræsentatæ Nego Cons. ut enim in-  
tellectus sit certus, an lux sit substantia; satis  
est, quod cognoscendo ens, substantiam non  
cognoscatur elatè & explicitè: licet cognoscatur  
id confusè, & implicitè. sic idiota potest esse  
certus, quod Petrus sit homo; & tamen dubi-  
care: an sit *animal rationale*. objectum, seu ra-  
tio repræsentata, est eadem: sed diversitas est  
in modo repræsentandi claro, & obscuro;  
explicito, & implicito.



THE-

• 83 ( 363. ) 83 •



## THESIS IV.

*Ens non est univocum, sed est  
tantum analogum, respectu D E I, &  
creaturæ; substantiæ, & accidentis.*

Ita Aristoteles l. 3. Metaph: c. 4. l. 4.  
Met. c. 2. l. 11. Met. c. 1. &c. 3. S. Thom: ibid:  
P. Suarius D. 2. S. 6. n. 7. D. 32. S. 2. n. 11.  
fatereturque P. Arriaga D. 11. Logica n. 1. hanc  
Sententiam inter Doctores esse communiorum.  
simò D. 6. Phys: n. 6. fateretur esse Sententiam  
Aristotelis. & D. 11. Logica n. 20. esse Sententi-  
am D. Thoma. ergo Conclusio nostra, confitente  
Adversario, satis probata est Auto-  
ritate.

### §. I.

*Explicatur & Probatur nostra Conclusio.*

**A**NALOGA sunt, quorum nomen est com-  
mune: & ratio per nomen illud signifi-  
cata, partim est similis, partim est dissimi-  
lis; ut patet ex Aristotele, & omnibus ferè  
Philosophis. Atqui ly *ens*, est nomen com-  
mune, DEO & creature; substantiæ & acci-  
dentiæ;

Q<sup>2</sup>

denti : & ratio per nomen *entis* significata, est partim eadem, seu similis ; partim diversa, seu dissimilis ; ergo ly ens est analogum. Min: prob: ratio per nomē entis significata, in essentiali suo conceptu involvit cum rationem conveniendi, cum rationem disconveniendi ; ergo ratio per ly *ens* significata, est partim similis, partim dissimilis. A. prob: ens ut sic, in conceptu suo essentiali, involvit omne id, quod habet rationem entis ; sed illud, in quo substantia, &c accidens, &c. convenient, essentia liter est *ens*, quia non est nihil : illudq; ipsum, in quo disconveniunt, nempe *differentiae* ( quae sunt formalis ratio disconveniendi ) suat etiam essentialiter ens ; quia etiam *perseitas*, *abalietas*, &c. non est nihil ; ergo. Explicatur, &

Confirmatur primū. Omnia & singula entia realia, convenient in hoc : quod sint oppositum nihilo ; quod ijs non repugnet exister, &c. disconveniunt in eo : quod DEUS existat à Se, creatura ab alio ; substantia per se, accidens in alio, &c. & hæ differentiae etiam sunt oppositæ nihilo ; quia sicut nihil, seu non ens, non potest constituere *ens simpliciter* ; ita non potest constituere *tale ens*. Atqui quidquid est oppositum nihilo, significatur per ly *ens* ; ergo ratio, per ly *ens* significata, & est id, in quo substantia, accidens, &c. convenient, & id, in quo disconveniunt ; ergo ratione

ratio per nomen commune, nempe per ly *ens* significata, est partim similis, partim dissimilis ; ergo ens est analogum.

Confirmatur secundū. Si ens esset univorum, sequeretur, quod detur in creatura aliquod prædicatum positivum, quod nullō modō dependeat immediatè à Domino DEO. Atqui Sequela est manifestè falsa ; ergo & id, unde sequitur. Seq. Maj. prob: id quod non essentialiter dicit *abalietas*, non dependet à DEO. Arqui in creatura est prædicatum *entis simpliciter*, quod juxta Nominales non dicit in essentia sua *abalietas* ; ergo prædicatum *entis simpliciter*, non dependet immediatè à Domino DEO.

Confirmatur tertius. Ens essentialiter, saltem implicitè & confusè, involvit differentias ; ergo essentialiter involvit rationem disconveniendi ; ergo implicat rationem entis esse perfectè unam, & omnino similem in substantia, accidente, &c. Ergo implicat, ut ens sit unicuum, &c.

Infero ex dictis : Ens in tantum esse commune respectu suorum quasi inferiorum, in quantum per actum confusum tam obscurè concipitur : ut per eundem actum non concipiatur clarè, & explicitè, entis differentiae, in essentia adæquata ipsiusmet entis inclusæ ; seu, ut alij loquuntur, *imbibita*. adeoque ratione

tio entis est tantum analogè, & improptè communis, ac universalis: quia est tantum una unitate confusionis; quæ non excludit à conceptu objectivo diversitatem, seu rationem disconveniendi, quamvis illam clarè non exprimat.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò cum Scoto. Ens potest esse medius terminus e. g. in hoc Syllogismo: *nullum ens est nihil; sed omnis substantia est ens; ergo nulla substantia est nihil.* ergo ens est univocum. C. prob: si ens acciperetur multipliciter, & non univocè; eslet Syllogismus æquivocus; & consequenter haberet plures terminos, quam tres. Itèm æquivocum erit illud principium: *quodlibet est, vel non est.* Resp: N. C. & probationis Seq: licet enim ens sit analogum, Syllogismus tamen nona erit æquivocus; sed rectè concludet. quia ut concludatur, quod substantia non sit nihil; satè est ostendisse, quod substantia quæcunque, necessariè sit ens reale. cò ipsò jam verum erit, quod opponatur nihil; cùm omne ens reale opponatur nihil. idem est de Axiomate citato. Cæterū annoro: omnia ferè argumenta Adversariorum retorqueri posse in capita ipsorum. quod enim nos dicimus de ente,

hoc

hoc & illi dicunt de alijs gradibus metaphysicis. nam etiam juxta illos substantia non potest perfectè præscindi à differentijs, corpus à vivente, animal à rationali & irrationali, &c. ergo *animal* e. g. confusè cognitum, intrinsecè includit differentias, adeòque multiplicitatem; & tamen potest esse medius terminus, &c.

Obj: secundò. Ideo D E U S est Ens, quia est oppositus nihilo; ideo creatura, ideo substantia, ideo accidentis est ens, quia singula sunt opposita nihilo; ergo eadem ubique assignatur ratio. Ergo ratio per nomen entis significata, est in omnibus eadem. Resp: Dist. C. & Illat: eadem analogè, impropriè; & quæ simul involvat diversitatem C. eadem propriè, omnino, & univocè N. C. & Illat: Tunc nomen convenit univocè, quando omnino eadem assignatur ratio: ob quam nomen commune dicitur de pluribus. at verò in hac ipsa ratione: quia sunt opposita nihilo, implicitè includuntur differentiæ; ergo ratio disconveniendi inividim assignatur cum ratione aliqua conveniendi. nam differentiæ entis realis, etiam ut differentiæ, sunt oppositæ nihilo; ergo etiā differentiæ, per ly oppositū nihilo repræsentantur; licet tam confusè, ut eas non discernam. ergo ratio significata non est omnino eadem, ac similis.

Objicies tertio. Ad Univocationem sufficit, quod convenientia multa in ratione per nomen commune expressa, & clare significata: licet in alia ratione implicita, confusaque significata disconveniant; ergo conceptus entis confusus, qui non discernit differentias, adhuc erit univocus. Resp: N. A. quia Aristoteles, D. Thomas, cum summis Philosophiae Magistris, saepius requirunt: ut ratio per nomen univocum significata, sit omnino, prorsus, penitus, &c. una, eadem, similis, &c. Atqui repugnat in terminis, ut ratio, seu essentia per nomen significata, sit omnino, ac penitus similis, &c. si intinsecè, essentialiter, in conceptu suo adæquato involvat differentias, quæ sunt ratio dissimilitudinis, ac diversitatis; ergo. Imò si hoc ad univocationem sufficit, quod differentiae, & diversitas clare non exprimatur; tunc nullum assignabile erit analogum; sed ipsa analoga, ab Aristotele, & D. Thoma in exemplum toties assignata, erunt univoca, quia etiam ratio sani, risus, &c. tam obscurè concipitur, ut non clare repræsentetur diversitas; nesciatürque an concepta fuerit sanitas animalis, cui propriè convenit: an vero sanitas medicinae, &c. cui convenit impropiè. Denique si illa diversitas implicita, & confusa repræsentatio, non impedit conceptum univocationem; sequitur etiam respondeo.

Et tu en-

Et tu entis realis, & carentiae, chimerae, &c. dati conceptum univocum: quia ly cognoscibile tam obscurè potest repræsentari, ut intellectus non discernat, an ratio per conceptum repræsentata sit aliquid reale? an fictum? an positivum? an carentia? &c.

Objicies quartò. Ly *Gallus* est æquivocum respectu hominis, & galli gallinacei; licet homo, & gallus gallinaceus, in *substantia*, *corpo-  
re*, *vivente*, *animali*; hoc est: in ratione per nomen non expressa, convenientia. Ergo etiam ly *ens* erit univocum; licet ratio per nomen entis obscurè significata sit diversa. quia tam bene æquivoca debent esse penitus dissimilia: quam univoca penitus similia. ergo si in æquivocis non obstat dissimilitudo implicitè significata; neque in univocis obstat dissimilitudo non expresse repræsentata. Resp: N. Suppos: A. quod ly *Gallus*, ut æquivocum, significet ullaenius *substantiam*, aliám rationem convenienti. significat enim tantum rationem disconveniendi; alias ed ipsò æquivocum non esset. Ly *ens* autem significat *oppositum nihil*, quod convenit etiam differentijs quæ talibus. Ergo ratio per nomen entis significata, non est tantum ratio convenienti; sed etiam ratio disconveniendi, &c. ergo, &c.

Objicies quinto. Animal est univocum respectu rationalis, & irrationalis; hominis, &

Q.

equi,

equi, &c. ergo etiam ens potest esse univocum respectu substantiarum, & accidentis, &c. Conprob: ideo animal est univocum, quia differentias hominis & equi non exprimit; atque etiam ly ens, differentias non exprimit; ergo. Resp: N. C. ad prob: N. Causalem Maj: esse adaequatam; sed ideo animal est univocum, quia differentias nec exprimit, nec implicitè & confusè involvit. Unde patet disparitas quoad ens. quia substantia, & accidens, ita convenient in ratione entis, ut in eadem ratione formaliter etiam disconveniant. nam id, propter quod formaliter disconveniunt, est cujusque differentia; differentia autem cujusque est essentialiter ens; adeoque in ratione entis partim convenient, partim disconveniunt. At verò animal in sua essentia non involvit ullo modo differentias; ergo illud, in quo equus & homo, &c. convenient, non est ullo modo ratio disconveniendi; ergo animal est univocum, ens analogum.

Objicies sextò. Sicut animal ita sic est indiferens, ut sit rationale, vel irrationale; ita ens ita sic est indifferens, ut sit substantia, vel accidentis, &c. ergo ens non involvit essentialiter substantiam, & accidentis, &c. ergo. Resp: N. A. propterly sicut. animal enim est ita indiferens, ut contrahatur, ac determinetur per additionem novarum perfectionis; quam actu non

non pracontinet, & quæ formaliter non est animal. ens autem ita sic est indifferens solum per expressionem clarioris conceptus; non verò per additionem alicujus novarum perfectionis. ens enim ita sic, essentialiter, & actu includit omne id, quod est ens; ergo essentialiter, & actu includit differentias.

Objicies septimè. Auditio nomine entis, concipimus id, quod est oppositum nihilo: & non concipimus, an sit oppositum nihilo à se, an ab alio; an per se, an in alio; ergo non concipimus differentias. Resp: D. A. non concipimus clare, & discernendo C. confusè, & implicitè N. A. Dist. similiter C. & N. C. rationem dedi probando Conclusiones.

Objicies octavò. Totum illud, quod quodcumque est de conceptu formalis animalis, est etiam de conceptu formalis cuiuslibet particularis animalis; ergo etiam quidquid ens implicitè involvit, erit de essentia cuiuslibet entis in particulari; ergo de essentia hominis est DEUS, accidentis, &c. Resp: N. C. Disparitas patet ex ipsa ratione animalis univoca; & entis analoga. quia quidquid est univocum, est perfectè unum; quidquid autem est perfectè unum, non habet in se divisionem; ergo à quocunque participetur, necessariò participatur totum. Ergo cum animal sit univocum, à quacunque differentia participetur, necessaria-

riò participatur totum. At verò ens, & quodcunque analogum, non est perfectè unum; ad-eóq; haber aliquam diversitatem; quod autem habet diversitatem, potest participari, quin participetur totum. Porro ea imperfecta, & analogica unitas entis, in eo consistit: quod differentiae inter se sint aliquò modò proportionatax in ipsa ratione entis; v.g. quod sic se habeat ratio entis in *substantia*: sicut proportionaliter se habet ratio entis in *accidente*. Unde quando dico: *Petrus est ens*; tunc affirmo: quod Petrus habeat modum essendi, qui proportionaliter invenitur in alijs creaturis, & in Isplo D E O. hoc est: sicut Petrus in suo genere est ens; ità accidens in suo genere est ens, &c. adeóque prædicatio falsa non est; quia non prædicat de Petro, quidquid ratio communis implicitè significat: sed quod explicitè importat, hoc proportionaliter in Petro esse affirmat.

Objicies nonò. Ideo animal est univocum, quia homo & brutum convenient in animali; sed etiam substantia & accidens, & reliquæ differentiae, convenient in ente; ergo. Resp: Dist. Maj. quia convenient penitus, similiter, & perfectè C. Maj: quia convenient quomodo cunque, & imperfectè N. Maj: Dist. Min. differentiae convenient in ente imperfectè, & proportionaliter C. Min. perfectè, & omnino simi-

go similiter N. Min & N. C. Jam sèpsum dixi: differentiae animalis non sunt de essentia *animalis*: differéntiae entis sunt de essentia *ensis*; quia sunt oppositæ nihilo. Sed unde hoc scis à rationem à priori nō pete; quia essentia est primù. rationem à posteriori assiguo: quia de differentiis in sensu formalis verè prædicantur: sicut definitio de definito. *differentia animalis*, & animal, tantum in sensu reali, non verò in formalis sensu de se prædicantur. ostendit id alias à Sequelis. quia alias ubique inveniretur essentia animalis, inveniretur etiam *rationale*; & de quocunque verè prædicaretur *animalitas*, etiam verè prædicaretur *rationalitas*, &c.

Objicies decimò ingeniosè. Si ens non est univocum, nulla dabitur prædicatio univoca; sed datur juxta omnes; ergo. Seq: Maj. prob: hæ prædicationes non erunt univocæ: *corpus est substantia*; *animal est vivens*; *homo est animal*, &c. quod probatur, in his prædicationibus, prædicatur vel explicitè, vel implicitè, verbum est; sed verbum est prædicat *esse*, seu *ens*; ergo si ens non esset univocum, nulla dabitur prædicatio univoca. Resp: N. Seq: ad prob: N. A. ad hujus prob: Dist. Min. ly est prædicat *esse*, seu *ens*, certum, ac determinatum; seu *esse* prædicati cum subjecto C. Min. prædicat *ens* indeterminatum, *ens* ut sic, seu *esse* in tota latitudine acceptum N. Min. & C. si verbum est prædicaret omne *esse*, seu *ens* latissime ac-


mē acceptum ; tunc prædicatio foret falsa, prædicat ergo esse prædicati cum ſubjecto ; ut ſenſus fit : *corpus habet eſſe ſubſtantia* ; *animal habet eſſe viuentis*, &c. ergo prædicatur eſſe determinatum , ac reſtrictum per diſferentiam.

Replicabis. Gradus inferior non potest præſcindi à ſuperiore ; ergo ſubſtantia non potest præſcindi ab ente à ſic ſic ; ergo ſubſtantia involvit ens à ſic ſic ; ergo dum eſſe ſubſtantia prædicatur de corpore, prædicatur ens analogum ; ergo nulla dabitur prædicatio univoca, quia eadem ratio erit de quaunque prædicatione aſſignabili. Resp: Dift: A. gradus inferior non potest perfectè præſcindi à ſuperiore C. A. im- pefectè N. A. Dift. ſimiliter C. ergo ſubſtantia non potest præſcindi perfectè ab ente à ſic ſic C. imperfectè, ſeu per præcisionem confuſio- nis N. C. primam, & reliquas. quia ut ante dixi: in ſimilibus propositiōibus non prædi- catur ens totā ſuā latitudine; quod eſt analogum , & ſignificat diſferentias confuſe, im- plicitè, & indeterminate; ſed prædicatur ens e. g. ſubſtantiale, quod jam per illam reſtrictio- nem diſferentialem eſt determinatum.

Subjungo hīc regulam dignoſcendi , an ali- quis conceptus , aut nomen , fit univocum, an verò analogum ? Attendum nempe eſt, an forma per nomen ſignificata conveniat ſuis in- ferioribus propter eandem rationem ; an pro- pter

pter rationem diuersam. ſi conueniat propter rationem penitus eandem ; tunc nomen eſt u- nivocum. ſi propter rationem aliquomodo di- uerſam ; tunc eſt analogum. ſic ly animal con- venit univocè homini, equo, cani, &c. quia rogatus cur de homine, equo, cane, &c. affir- mēs animal ? dices : quia & homo, & equus, & canis, &c. eſt viuentis ſenſitivum. rogatus autem cur de homine affirmes ly ſanum? dices: quia eſt ſubjectum, in quo eſt ſanitas. cur de medicina ? quia eſt cauſa ſanitatis. cur de pul- ſu ? quia eſt indicium, & ſignum ſanitatis, &c. ergo aſſignas rationes diſſimiles ; ergo ly ſanum respectu hominis, medicinæ, &c. eſt analogum.





## THESIS V.

Unitas formaliter consistit in positivo; non in superaddita enti negatione, seu carentia.

*Colligitur ex Aristotele. 4. Met. t. 3. & s. Met. t. 14. & 10. Met. t. 8. S. Thom. ibidem. & q. 1. de Verit. a. 1. ita quoq; sentit P. Ovidio. Metaph: Controv: 3. punclo 1. & alij complures è DD. Societatis IESV.*

## §. I.

*Explicatur primò, & Probatur Conclusio.*

Priusquam probem: explico Conclusio-  
nem. Non dico, quod unitas sit praedica-  
tum positivum, enti realiter superadditum:  
quia illa ratio, enti realiter superaddita, èd  
ipsò, quod esset aliquid positivum, esset for-  
maliter ens; ergo etiam esset una (cùm unum  
sit proprietas entis) ergo esset una, vel per se  
ipsam; vel per aliud rursus superadditum. Si  
esset una per se ipsam; ergo quodlibet ens reale  
formaliter poterit esse unum, etiam per se ipsū;  
ergo non est opus praedicatio positivo superad-  
ditu.

## superaddita negatio.

377

dito. si autem esset una per additam rursus a-  
liam formalitatem positivam; illa superaddi-  
ta denuo deberet formaliter constitui una per  
aliam; & sic in infinitum procedetur. Dico  
igitur, quod quælibet res, sive ullo realiter  
superaddito, sive negativo, sive positivo, sit  
una. quia quodlibet ens reale se ipsò exclu-  
dit divisionem, aut divisibilitatem; estque i-  
psa cuiusvis rei entitas, negabilitas divisionis:  
& præbet se ipsā fundamentum intellectui;  
ut per negationem formaliter removeat divi-  
sionem, aut divisibilitatem.

Probatur nunc Conclusio ratione. Unum  
quà unum, est formaliter ens, & aliquid po-  
sitivum; atqui unum quà unum, est formaliter  
unitas; ergo unitas est formaliter quid po-  
sitivum. Maj: prob: de quo in sensu formaliter  
potest praedicari ens; & quod potest formaliter  
converti cum ente, illud est formalissimè  
ens: sicut formalissimè est homo, de quo for-  
maliter praedicatur homo; & cum quo forma-  
liter convertitur homo. Atqui ens in sensu for-  
maliter acceptum, potest praedicari de uno for-  
maliter accepto: & unum potest converti cum  
ente; ergo. Min prob: vera est ista praedicatio:  
unum quà unum, est ens; DEVS quà V-  
nus, est Ens; unitas est opposita nihilo, &c.  
ergo ens verè praedicatur de unitate. Atqui im-  
possibile est, ut ens verè praedicetur de non ente,  
seq

seu de negatione, vel carentia; ergo unitas formaliter accepta non est negatio; ergo forma denominans unum est ens.

Confirmatur primò. De Divinitate potest in sensu formalí prædicari Unitas; atqui de Divinitate nihil potest verè prædicari, nisi Ens; ergo unitas formaliter est ens. Maj: patet: quia Divinitas est merissimum Ens; & repugnat ei omnis carentia formalis; ergo.

Confirmatur secundò. Per unitatem formaliter unum ut *unum*, differt à multo. sed est impossibile, ut differentia entis realis, sit formaliter carentia, seu negatio; ergo impossibile est, ut unitas sit formaliter carentia. Min: prob: Omnis differentia *entis realis* constituit *ens reale*, & perficit illud in ratione talis. Atqui impossibile est, ut non *ens*, seu *carentia*, formaliter constituat, ac perficiat *unum* (quod est *ens reale*) ergo impossibile est, ut carentia sit differentia *unius*; ergo, &c.

Confirmatur tertio. Quælibet res per suammet entitatem est actu, & formaliter indivisa, vel indivisibilis realiter, in plura ejusdem rationis, & æqualia cum diviso. ergo quælibet res per suammet entitatem intrinsecè est una. A. prob: quælibet res per suammet entitatem præbet fundamentum intellectui, ut explicans totam ejus perfectionem, cum veritate possit negare de illa, divisionem, aut divisibili-

sibilitatem, in plura ejusdem rationis; ergo per suammet entitatem, à parte rei actu est indivisa, vel indivisibilis; ergo una.

Confirm: quartò. Unitas, seu indivisibilitas, est perfectio; quò enim aliquid magis est indivisible, eò magis est perfectū: quia quò magis est realiter indivisible, eò magis recedit à materia & quantitate, quæ est radix imperfectionis, ac divisionis; ergo unitas realiter est perfectio; ergo unitas non est carentia, negatio enim, seu carentia, est defectus; adeò, ut negatio, seu carentia, non sit nisi de ratione defectibilium; ut ait S. Thomas I. p. q. 10. a. r.

Confirmatur quintò. Unitas datur major & minor; adeòque unitas formaliter suscipit magis & minus: quia in uno subjecto, est major unitas, quam in altero. sic Angelus est magis unus formaliter, quam homo. Atqui carentia formaliter non suscipit magis & minus; ergo unitas formaliter non est carentia.

## S. II:

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. S. Doctor I. p. q. II. a. r. ait: quod unum non addat supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis; unum enim nihil aliud significat, quam ens indivisum; ergo forma denominans unum, seu unitas, est negatio. Resp: explico S. Doctorem

rem cum Dist. superaddit negationem in modo explicandi C. A. superaddit negationem ex parte rei explicatae N. A. Ens se ipso est indivisum à parte rei, sive superaddita negatione. præbet tamen fundamentum intellectui, ut per negationem explicare possit; removendo divisionem, cuius ens unum, est expers.

Objicies secundò. Unum est ens indivisum; ergo unitas est indivisio. sed indivisio est negatio divisionis; ergo. Resp: N. Subsū, aliud est esse negationem ex parte rei explicatae; aliud est per negationem explicari. unde distingui potest Subsumptum: indivisio est negatio in modo explicandi C. est negatio ex parte rei explicatae N. Subsum.

Objicies tertio. Ergo explicatio unitatis est falsa. Illat: prob: Unitas est ens positivum; explicatio est negativa; ergo explicatio non est conformis rei explicatae; ergo est falsa. R. N. Illat: ad prob. Dist: 2. partem A. explicatio est negativa, in modo explicandi C. A. est negativa ex parte objecti, seu rei explicatae N. A. explicatio non dicit, quod unitas, in re explicata, sit negatio; sed modus explicandi est negativus, & removet divisionem ab ente, quatenus concipit ut unum. Ens unum, se ipso realiter excludit divisionem in se; adeoque explicatio est conformis rei explicatae. sic

dum dico: DEVS non est corporeus; explico Es-sentiam Divini Spiritū, per remotionem ejus, quod est spiritui oppositum; & verum dico: quia Ipse DEUS, Simplicissimus Spiritus, Se Ipsō est remotus ab omni corporeitate; adeoque Deus, qui est merissimū Ens, præbet fundamen-tum meæ negationi, quā removeo cor-poreitatem à DEO.

Objicies quartò. Quamdiu non superad-dit enti negatio divisionis, tamdiu non est formaliter, & actu unum: sed tantum fundamentaliter, ac in potentia; ergo unitas actua-lis, seu forma denominans unum, est negatio divisionis. Resp: N. A. ens à parte rei, se ipso formaliter, & actu, excludit divisionem in se. neque intellectus, negans divisionem, facit, ut ens realiter excludat divisionem; sed potius intellectus, cum veritate negans divisionem, præsupponit negabilitatem divisionis in ente: seu ens excludere realiter divisionem in se. Er- go antequam intellectus neget divisionem in se, jam à parte rei, ens actu est indivisum; er- go ens est actu, & formaliter unum; ergo ha-ber se ipso formaliter unitatē; ergo unitas non consistit in negatione superveniente; ergo u-nitas consistit formaliter in fundamento nega-tionis; ergo formaliter consistit in positivo.

Objicies quintò. Ratio unius, superaddit a-liquid rationi entis; sed non prædicatum po-  
sitivum,

sicutum, nè camus in infinitum; ergo superaddit negationem; ergo. Resp. Dist: Maj: superaddit aliquid extrinsecè, ratione tantum ratiocinante; & in modo explicandi C. Maj: realiter, & à parte rei N. Maj: Ens & unum, à parte rei, sunt omnino idem; ipsissimumque ens, realiter se ipso excludit divisionem in se; ergo ens à parte rei est formaliter unum. intellectus tamen, dum clarius, & clarius ens cognoscit: solum in modo concipiendi facit aliquam diversitatem; enti prorsus extrinsecam.

Replicabis. Unum est proprietas entis; ergo impossibile est, ut unum formaliter, intrinsecè, ac essentialiter constituantur per rationem entis. C. prob: juxta Aristotelem. 7. Metaphysic; c. 5. proprietas non potest intrinsecè, ac essentialiter constitui per rem, cuius est proprietas; ergo. Resp: Dist. A. unum est proprietas, nostro modo concipiendi, aut explicandi, emanans C. A. est proprietas emanans ex parte rei explicatae N. A. In rigore Philosophico, proprietas debet esse extra essentiam ejus, cuius est proprietas. patet in risibili; quod est extra essentiam metaphysicam hominis. At vero unum, non est extra essentiam entis; quia ens transcendent omnia, & imbibitur in omnibus suis proprietatibus. & eò ipso, quod concipiatur adæquate, & clarè, ens: concipio etiam, unum, verum, bonum, &c. Di-

Dicitur ergo unum, hoc sensu proprietas entis, quod intellectus priùs concipiatur ens obscurè, postmodum concipiatur idem ens clarius: quando concipit indivisum in se; & adhuc clarius: quando concipit distinctum ab alio, &c. Et quia isti conceptus clariores, sunt quoddammodo secundi; sequunturque priorem obscurum conceptum entis: ideo vocantur entis attributa, proprietates, &c.

Infer ex dictis: ens, unum, aliquid, verum, &c. ita realiter, & essentialiter esse idem; ut nec à parte rei possint separari; nec plenè, & adæquate definiri: quin conceptum definitio- nis intrent illa omnia implicitè. Solum ergo diversitas eorum est extrinseca; & per intellectum, diversimodè ens concipientem. dum enim concipit ens, ut indivisum, in plura ejusdem rationis; seu indivisum in se: concipit ens

ut unum. dum concipit ut divisum ab alio, concipit ens ut aliquid, &c.





## THESES VI.

*Distinctio* consistit formaliter  
in ente, ut exclusivo alterius: non au-  
tem in superaddita negatione, seu  
carentia.

*Colligitur ex Aristotele 10. Metaphys. c.  
3. D. Thom: ibidem Lect. 4. ita etiam docuit  
P. Comptonus D. 19. S. 2. Logica, &c. alij  
DD. Societ: IESV complures.*

## §. I.

*Explicatur & Probatur Conclusio.*

**D**ico primò. *Distinctio*, seu *forma*, per  
quam ens unum actu distinguitur ab al-  
tero, non est formaliter carentia aliqua, aut  
negatio objectiva, per actum negantem signi-  
ficata. *Probatur.* *Aliquid* est proprietas meta-  
physica, solum extiinsecè, & ratione nostrâ  
ab ente reali diversa; ergo formalitas, per quā  
ens formaliter constituitur *aliquid*, seu *aliud-  
quid*, est realiter, ac objectivè idem cum ente  
reali. Sed carentia, seu negatio, utpote *non  
ens*, non est realiter, ac objectivè idem cum en-  
te reali; ergo formalitas, per quam unum ens  
consti-

constituit formaliter *aliquid*, seu *aliudquid*,  
ac distinctum ab alio; non est carentia, seu  
negatio aliqua objectiva, correspondens actui,  
unum de alio neganti; ergo, &c. Major est  
Aristotelis ac D. Thomæ, q. 1. de Veritate a.  
1. ubi air proprietates entis esse in sensu reali, ac  
formali, convertibilis cum ente. Min. etiam  
prob: quia impossibile est, ut *non ens*, seu ca-  
rentia, ac negatio, realiter sit *ens*; ergo im-  
possibile est, ut carentia, seu negatio, realiter  
sit idem cum ente.

*Confirmatur* primò. In D E O Trino da-  
tur formaliter, & actu distinctio, per quam  
una Persona realiter distinguitur ab altera. At-  
qui in D E O nulla datur carentia, seu negatio  
entis objectiva, quæ per actum aliquid de  
DEO negantem significetur; ergo, &c.

*Confirmatur* secundò. Illud non est pro-  
prietas metaphysica entis realis, quod nec po-  
test in sensu objectivo, aut reali, cum veritate  
prædicari de ente reali, ac cum illo converti: nec  
convenit omni enti reali; atqui carentia, seu  
negatio objectiva, nec potest cum veritate præ-  
dicari de ente reali: nec reperitur in omni ente  
reali (cùm in D E O Summo Ente non repe-  
ritur) ergo, &c.

*Confirmatur* tertio. Aristoteles 10. Met:  
c. 3. dicit: quod ens indivisum, & divisum,  
seu distinctum, opponantur sibi oppositione

contraria; ergo tam forma, per quam ens est divisum, ac distinctum: quā formalitas, per quam ens formaliter est indivisum, seu unum, est aliquid positivum: quia formae contrarie oppositorum, sunt aliquid positivum; ut patet inductione, & autoritate ejusdem Aristotelis; ergo, &c.

Dico secundū. Distinctio non consistit formaliter in ipsa negatione formalis; seu in actu intellectus, negante unum ens esse aliud. Probatur. Ens à parte rei independenter ab intellectu negante est aliquid, seu aliudquid; ergo unum ens est à parte rei actu realiter distinctum ab alio, independenter ab actu intellectus negante; ergo distinctio actualis, non consistit formaliter in actu intellectus, negante unum ens esse aliud.

Confirmatur primū. Dantur à parte rei plura entia actu extra intellectum; ergo dantur à parte rei res distinctae actu. sed actus intellectus negans unum ens esse aliud, non datur extra intellectum; ergo actualis rerum distinctio, non est formaliter intellectualis negatio.

Confirmatur secundū. Si nullus intellectus negaret unum ens esse aliud, adhuc unum ens non esset aliud; ergo unum ens adhuc actu distinguetur ab alio. ergo distinctio formaliter

non

non consistit in negatione intellectuali, negante unum ens esse aliud.

Confirmatur tertīo. In eo non consistit formaliter distinctio, quō positō non habetur formaliter distinctio. Atqui posita negatione identitatis, non habetur formaliter distinctio; ergo, &c. Min. prob. vera est propositio, quā dico: *vulp-anser non est idem cum hirco-cervo*; & tamen non habetur formaliter distinctio *vulp-anseris ab hirco-cervo*; quia formalitas actu, & formaliter distinguens, est proprietas entis realis; ergo nequit convenire non enti: alias cō ipsō non esset proprietas entis realis. sicut risibile non esset proprietas hominis, si alicui præter hominem conveniret.

Dico tertīo. Distinctio non consistit in ente simpliciter accepto, seu ut absolutum est. Probatur. Juxta Aristotelem, ac D. Thom: aliisque Philosophos; aliquid, est proprietas metaphysica entis; ergo ly aliquid, saltē nostrō modō concipiendi, addit aliquid supra conceptum entis simpliciter, & ut absolutum est. Ergo distinctio est aliquid saltē ratione nostrā posterius ente simpliciter, & præcisē ut absoluto: alias nullo sensu posset dici proprietas metaphysica. Atqui si ens formalissime in ipso conceptu entis absoluti, exprimeret distinctionem; tunc distinctio nec esset nostrō modō concipiendi posterior ente: quia

et ipsò, quod conciperem ens præcisè ut absolutum, modus concipiendi exprimeret distinctionem, ut exprimit ens; ergo ratione nostrâ nihil superadderet conceptui entis absoluti; ergo non esset ullo sensu proprietas metaphysica entis, vocatur enim h̄c proprietas metaphysica, quæ ratione nostrâ emanat ex conceptu entis simpliciter, ut absolutum est.

Confirmatur. In eo formaliter non consistit distinctio, quod concepto necdum concipitur distinctio. sed concepto ente simpliciter, & præcisè prout est quid absolutum, necdum concipitur distinctio; ergo in conceptu entis absoluti non consistit formaliter distinctio. Major pater: quia in eo non consistit conceptus hominis, quo concepto necdum concipitur homo. Min. prob: conceptus entis simpliciter, & præcisè ut est quid absolutum, non representat nisi solum esse; & tantum explicat quid intra se ens includat: non verò explicat, an aliud quid extra se excludat, ergo conceptus entis simpliciter, non explicat: an ens sit aliiquid, seu aliudquid; ergo non explicat distinctionem ab alio. Denique: conceptus absolutorum, est prior, quam respectivorum; ergo dum concipitur ens, ut præcisè absolutum est, necdum concipitur; ut respectivum, est. Atqui juxta Aristotelem, & D.

Thomam, quando ens concipitur, ut aliudquid est, seu ut distinctum; concipitur ut est iespe-ctivum ad aliud; ergo, &c.

Dico denique. Distinctio formaliter consistit in ipso ente positivo, prout fundat negationem de alio: seu prout est exclusivum se ipso alterius entis. Brevissimè: distinctio consistit in negabilitate identitatis.

Probatur. In illo formaliter consistit distinctio, quod est formalis ratio, ob quam unum ens, actu distinguitur à quovis alio ente; atque ratio formalis, ob quam unum ens, actu distinguitur à quovis alio ente, est: quia unum ens excludit se ipso quodvis aliud ens. ergo. Min. prob: per aliquid actu distinguitur unum ens à quolibet alio ente; sed non per negationem actualiem, superadditam enti, ut probatum est. neque per aliquid positivum, enti realiter superadditum; quia illud realiter superadditum enti, distinguiceretur ab ente (aliis non esset realiter superadditum) sed non per aliud rursus superadditum positivum, nè superaddamus in infinitum; ergo distingueretur se ipso ab ente, cui superadditur; ergo etiam dici potest, quod ipsum ens formaliter, & actu, se ipso distinguatur immediate à quovis alio ente. Atqui non distinguitur se ipso formaliter, & actu, prout est quid absolutum; ut etiam probatum est. ergo forma-

liter, & actu, distinguitur unum ens positivum se ipso, prout est respectivum, & connotat aliud ens; seu prout est exclusivum alterius entis.

Confirmatur primò. Per illud formaliter actu, & eò ipsò, distinguitur unum ens ab alio, per quod formaliter est *non aliud*, sed quodvis ens per suam etitatem, formaliter exclusivam alterius entis, est formaliter *non aliud*; ergo quodvis ens per suam etitatem, prout ea exclusiva est alterius, distinguitur formaliter à quovis alio ente.

Confirmatur secundò. *Vnum, bonum, verum*, realiter nihil superaddunt enti, sive positivum, sive negativum; sed eò ipso, quod ens respiciat intellectum, formaliter & actu, est *verum*; & eò ipsò, quod ens connotet voluntatem, formaliter & actu, est *bonum*. ergo etiam eò ipso, quod ens connotet, & respiciat aliud ens; seu quod excludat aliud ens; formaliter erit distinctum, seu *aliudquid*, sine omni superaddita negatione actuali, aut entitate positiva.

Confirmatur tertio. Identitas formaliter consistit in *affirmabilitate*, ita ut quæcunque de se invicem sunt affirmabilia, sint idem; & quidem tantum in sensu reali sunt de se affirmabilia, quæ tantum realiter sunt idem; ut animal & rationale, &c. in sensu formalis, quæ etiam

etiam formaliter sunt idem; ut homo, ac animal rationale, &c. patet inductione. ergo etiam distinctio formaliter consistit in *negabilitate*; quia etiam inductione constat, eò modo, quò aliqua de se invicem sunt negabilia, esse distincta.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

Objicies primò. Unum ens non distinguitur ab altero, ex ratione entis simpliciter: quia ens ut ens, non distinguitur ab ente. nec etiam distinguitur per hoc ens: quia quareritur prima ratio distinctionis, quæ inveniatur in omnibus distinctis; hoc ens verò non invenitur in omnibus; ergo, ergo unum ens ab altero distinguitur per *non ens*; ergo per negationem; ergo distinctio consistit in negatione. Resp: N. 2. partem Ant: Ratio est: quia Petrus ut Petrus, est substantia ultimè completa; ergo quidquid dicit intrinsecè Petrus ut Petrus, est constitutivum substantiae; ergo debet esse formaliter ens.

Replicabis. Hæcceitas est limitatio entis; limitatio est negatio; ergo distinctio est negatio. Resp: N. 2. partem Ant. quia etiam differentia specifica limitat speciem: & facit formaliter, ut homo e. g. non sit brutum; & tamen rationale non est negatio passiva, carens-

tia, seu non ens. Ergo licet haecceitas sit limitatio, non sequitur, quod sit negatio, seu carentia. duo namque praestat haecceitas; constituit formaliter, ac intrinsecè individuum; simulque individuum excludit, ac removet ab individuo omne illud ens, quod non est illud individuum. Unde claritatis gratia: Dist. 2. partem Ant. limitatio est negatio *adivia*; & consequenter fundamentum verificativum propositionis infinitanter negativæ C. A. est negatio *passiva*, seu carentia, independenter ab operatione intellectus superaddita N. A. & C. carentia est metissimum non ens; ergo non potest esse formalitas intrinsecè constitutiva *hoc ens*, seu individuum, ac substantiam ultimam completam.

Objicies secundò. Distinctio est formalitas faciens unum ens formaliter non esse aliud; sed nullum ens positivum, potest esse formalitas faciens formaliter unum ens non esse aliud; ergo, &c. Min. prob: nullum formaliter esse, facit formaliter non esse; sed ens positivum facit formaliter esse; ergo, &c. Resp: N. Maj: Distinctio enim est formalitas faciens unum ens, formaliter esse non aliud, seu aliudquid; ad eoque distinctio non est negabilitas copula; sed negabilitas praedicati. hoc est: distinctio non est fundamentum propositionis pure negativæ; sed infinitantis. Ratio est: quia si distin-

distinctio formaliter consisteret in negatione copulae, &c. distinctio, & identitas, opponerentur sibi contradictoriæ; atqui Sequela admitti nequit; ergo. Seq. Maj. prob: Petrum (e. g.) esse Paulum, Petrum non esse Paulum, opponerentur contradictoriæ. Atqui Petrum esse Paulum, est identitas. Petrum non esse Paulum, formaliter esset distinctio; ergo identitas & distinctio opponerentur sibi contradictoriæ. Minor argumenti etiam probatur. si identitas, & distinctio, opponerentur contradictoriæ; tunc ex vera negatione identitatis, semper eod ipso necessariò, & evidenter sequeretur vera affirmatio distinctionis (cum inter contradictoria non detur medium) atqui ex vera negatione identitatis, non semper eod ipso necessariò, ac evidenter sequitur affirmatio distinctionis; ergo. Min: hæc prob: ista est vera proposition negans identitatem: *Anti-Christus non est idem cum hirco-cervo*; & tamen ex hac negatione identitatis vera, non sequitur esse veram propositionem affirmantem: *Anti-Christus distinguitur ab hirco-cervo*. quia quod simpliciter non est, nec est distinctum, seu aliudquid; cum aliquid sit proprietas convertibilis cum ente; ergo.

Sed T. Maj. Object. Dist. Min. nullum ens positivum, quæ tale, pure positivum, & præcisè absolutum, potest esse formalitas fa-

ciens unum non esse aliud C. Min. nullum ens positivum quod tale; quodque simul est respectivum, excludendo aliud ens à se N. Min. & Con.

Objicies tertio. Petrum distingui à Paulo, est Petrum carere illâ perfectione, quæ est in Paulo; ergo distinctio est carentia. sed carentia est formalis negatio; ergo. Resp: N. A. sed Petrum distingui à Paulo, est Petrum esse ens se ipso exclusivum illius perfectionis, quæ est in Paulo. Licet enim explicemus prædicatum distinctionis per vocabulum carentia, aut negationis; in Petro tamen, ut realiter distinguitur à Paulo, non est ulla carentia, seu negatio, quæ sit forma intrinsecè constituens Petrum distinctum à Paulo.

Objicies quartò. DEUS distinguitur à creaturis tantum per negationem Sibi extrinsecam; quæ est ipsa limitatio creaturarum distinctarum à DEO. sic dicimus DEUM referri ad creaturas; non quod DEO intrinseca sit illa relatio; sed quod creaturæ ipsæ referantur ad DEUM; ergo. Resp: N. A. primò: quia esse ens distinctum, aliquid, seu aliudquid, est proprietas entis, convertibilis cum ente; ergo cuiuscunque est intrinseca ratio entis, illi intrinseca est ratio distincti, seu distinctio. Atqui DEO summè est intrinseca ratio Entis; ergo. secundò: alias proprietates metaphysicæ sunt

sunt DEO intrinsecæ, & cum DEO convertuntur. DEUS enim est intrinsecè Ros, Vnus, Verus, Bonus; ergo etiam esse distinctum, seu aliquid, hoc est: aliudquid, convenit DEO intrinsecè; ergo. tertio: risibilitas eò ipso non esset proprietas hominis, si daretur ullus homo, qui non esset risibilis; & tamen risibilitas minus identificatur cum homine, quam aliquid cum ente: quia risibile est extra conceptum adæquatum hominis; aliquid non est extra conceptum adæquatum metaphysicum entis. ergo à posteriori aliquid non esset proprietas metaphysica entis, si daretur ullum ens, quod non esset aliquid, aliudquid, seu ens distinctum; ergo.

Objicies quintò. DEUS fuit ab æterno Ens; & tamen non fuit distinctus ab alio: quia nihil aliud præter DEUM fuit ab æterno; ergo non erat fundamentum negationis, seu negabilitas; seu prædicatum exclusivum alterius entis. Resp: DEUM ab æterno per ipsam Essentiam Suam exclusisse non ens: immo creaturas omnes, quæ existunt in tempore, quia creaturæ omnes sunt limitatae, adeoque imperfectæ; ens autem, in quo essentialiter est mera perfectio, exclusivum est se ipso omnis imperfectionis; ergo, &c.

Objicies sextò. Ly negabilitas: ly negativum; vel est prædicatum positivum; vel est

prædicatum negativum, si est positivum; ergo ens ut ens, distingueatur ab ente: quod repugnat. si est negativum; ergo eò ipso distinctio erit negatio; ergo. Resp: esse prædicatum positivum; sed non præcisè positivum, aut ut absolutum. est autem positivum fundans negationem; & respectivum ad illud ens, quod excluditur. Deinde: aliud est prædicatum negativum, aut negabile; aliud est actualis negatio. Prædicatum negativum, aut negabile, significat fundamentum actualis negationis. fundamentum verò actualis negationis verae, potest esse aliquid positivum. sic brutum verè dicitur animal irrationalē, seu non rationale; & tamen ex parte rei significata, est prædicatum aliquod positivum; quod responderet huic negationi: non rationale.

Urgebis. Propositio negans vera, debet esse conformis objecto; ergo illi ex parte objecti non potest respondere prædicatum positivum. C. prob: de prædicato positivo non est verum dicere: non est; sed tantum est verū de illo dicere: est. ergo objectum propositionis negantis, debet esse carentia; ergo negatio. R. primū distinctio non consistit in negatione copula, sed in negatione prædicati. unde propositio fundata in prædicato exclusivo dicit: hoc ens est non aliud. Dist: igitur A. prob: non est verum dicere: non est; purā negatione, quæ neget copulam

pulam T. A. infinitanter; ut negetur prædicatum aliud N. A. & C. Resp: secundò: D. C. non potest respondere prædicatum positivum, quod est respectivum, & simul exclusivum alterius N. C. non potest respondere prædicatum præcisè positivum, & absolutum C. nonne enim verissimè enuncio de spiritu, quod non sit corpus; de bruto, quod non sit rationale, &c. & tamen spiritus, ac brutum, sunt quid positivum. quia tamen spiritus se ipsum excludit corpus ab entitate sua; brutumque excludit perfectionem rationalis, &c. ideo enunciativa negatio fundamentum habet, ut verisicutur.

Objic: septimè. Due chimære, e. g. vulp. anser, & hirco-cervus, distinguuntur inter se; sed duæ chimære non sunt ens positivum excludens; ergo distinctio non consistit formaliter in ente positivo excludente aliud ens. Maj: prob: duæ chimære non sunt idem inter se; ergo sunt distinctæ inter se. Resp: N. Maj: argum: & prob: C quia & identitas, & distinctio, sunt proprietates entis positivi; & opponuntur sibi oppositione contraria. ergo cum chimære, carentia, &c. non sint ens: nec distinctio, nec identitas potest in rigore Philosophico de illis prædicari.

Objic: octavò. Juxta Axioma Philosophicum: per illud, unaquavis res distinguitur

ab altera, per quod in suo esse constituitur. sed quodvis ens per praedicta absoluta in suo esse constituitur; ergo per praedicta absoluta distinguitur; ergo. Resp: primò Dist: Maj: per illud distinguitur causaliter, fundamentaliter, ac in potentia C. Maj: per illud distinguitur formaliter, & actu N. Maj: Resp: secundò: per illud forma'iter distinguitur, per quod in suo esse distinctio formaliter constituitur Con. Maj: per quod in suo esse absoluto simpliciter constituitur N. Maj: per praedicta præcisè positiva, res constituuntur in esse absoluto; per praedicta exclusiva, in esse respectivo, & distinctio, si enim per praedicta præcisè positiva, & absoluta, formaliter haberetur distinctio realis; tunc animal per essentiam suam distingueretur realiter à rationali; ergo realiter nunquam posset identificari cum rationali. Idem est de corpore, substantia, respectu viventis, &c. ergo ut unum formaliter distinguiatur ab altero, debet esse exclusivum alterius entis,

Objicies nonò. Eò ipsò, quod sit hoc ens, & illud ens; jam habetur formaliter distinctio: absque eo, quod concipiā negabilitatem; ergo distinctionis conceptus non consistit in negabilitate, seu fundamento negationis. Resp: Nego Suppos: quod possit esse hoc ens, & illud ens, nisi entia per hæcceitatem limitentur. omnis autem hæcceitas limitans,

se ipsa

se ipsa est prædicatum exclusivum alterius entis, seu perfectioris, seu imperfectioris; ergo hæcceitas se ipsa est fundamentum negationis: estque negabilis de altera; licet nunquam conciperem negabilitatem. si tamen concipiā prædicatum limitans, hoc est: exclusivum alterius entis; eò ipsò formaliter concipio negabilitatem, seu distinctionem.

Objicies decimò. S. Thomas in 1. Dist: 24. q. 1. a. 3. ait: in multitudine negatio est, secundum quod una res distinguitur ab alia. & super Boët. de Trinitate. q. 1. a. 1. nec potest esse, ut ens dividatur ab ente, in quantum est ens; nihil autem dividitur ab ente, nisi non ens. & p. 1. q. 11. a. 2. divisio cadit in intellectu, ex ipsa negatione entis. Ergo Conclusio nostra, est contra S. Thomam; & consequenter contra Aristotelem. Resp: N. C. quia S. Thomas Lect. 4. in Aristot: 10. Metaph: c. 3. inquit: manifestum est, quod unitas & distinctio, non opponantur contradictioni; quia neutrum eorum verificatur de non ente. Ergo si Sanctus Doctor sensisset distinctionem esse formaliter negationem, contradixisset sibi. Ut ergo combinentur textus: explico priores, & dico: locutum fuisse, vel de fundamento negationis, seu negabilitate; vel de negatione consequente ad distinctionem realem. quia per negationem, nostro modo concipiendi, explicamus distin-

distincta; non autem actu distincta esse facit.  
mus. explicatio namque est posterior ipso esse  
rei. Ceterum quod per negationem, aut ca-  
rentiam actualem, eas non possit intinsec  
constitui, vel etiam ex eo patet: quod non ens  
potius tollat, & destruat rationem entis; quam  
illam constitutat, & perficiat.

## THESES VII.

**Subsistētia** est terminus  
positivus, naturæ realiter super-  
additus.

Ita S. Thomas 3. p. q. 16. a. 12. &c; I. ad  
Annibald. Dist. 22. q. unic. a. 1. P. SUA-  
rez. D. 34. Met. S. 2. & alij.

§. I.

*Probatur Conclusio.*

**P**rimò. Implicat ens reale, seu substantiam, formaliter constitutus per parentiam, seu negationem; quæ est merissimum non ens. At qui persona, quæ est substantia, formaliter, ultimè, & quidem completissimè, ac perfectissimè constitutus per subsistentiam; ut habet

betur ex S. Thoma i. p. q. 29. a. 3. in C. I.  
ad Annibaldum Dist. 22. q. un, a. 1. & 3.  
4. contra Gentes c. 38. & alibi; ergo, &c.  
Major patet: constitutum formaliter habetur  
per constitutiva; ergo implicat ens reale for-  
maliter constitui per non ens, seu negationes.  
Min. etiam prob: quia juxta omnes, subsisten-  
tia est terminus ultimus, formaliter comple-  
naturam in ratione *suppositis*; ergo, &c.

Probatur secundò. Subsistētia creata est illud, per quod formaliter suppositum creatum, utpote limitatum, habet repugnantiam faciendi unum per se cum alio supposito: sicut haecceitas facit formaliter, ut individuum habeat repugnantiam constituendi unum per se cum alio individuo. Atqui suppositum creatum habet eam repugnantiam per aliquid positivū; ergo, &c. Min. prob: Omnis negatio, quæ dicit repugnantiam ad aliquid, fundatur formaliter in aliqua entitate positiva; ut ostēdī in Quæstionib<sup>9</sup> Physicis: & patet inductione, sic repugnantia inherēndi alteri ī subjecto, fundatur in substantia; quæ est ens per se: repugnantia irrationalitatis, in rationali, &c. ergo, &c.

Probatur tertio. Illud, quod Verbum Divinum primariò supplet in Humanitate Christi, constituit iutrinsecè *Suppositum*, & Personam. Atqui Verbum Divinum formaliter, & prima-

primariō, non supplet negationem, seu carentiam; *tum* quia negatio nihil est: *tum* quia aliás Verbum Divinum non refunderet infinitum valorem in actiones Christi; quia nec carentia, seu negatio: nec illud, quod supplet negationem puram, potest esse principium formale, in quod refundatur actiones merititiae, ac positivae; dependenter ab illo Axio-  
mate: *actiones sunt suppositorum*; ergo, &c.

Confirmatur primū. *Subsistētia* significat aliquam realem perfectionem substantiae singularis; quia constituit formaliter substantiam individuam: quam Aristoteles vocat *prīmā*, ac *perfectissimā substantiam*. Atqui pura negatio passiva, non est perfectio realis; ergo, &c.

Confirmatur secundū. Suppositum, seu Substantia ultimā completa, ac terminata, est ens per se subsistens; ergo non est ens per accidens. Atqui ex negatione pura, & ente positiuo, non constituitur unum ens per se, sed tantum per accidens; ergo, &c.

Confirmatur tertiu. In Divinis Personali-  
tēs non est pura negatio: quia in DEO nulla datur pura negatio, seu carentia entis; & aliás naturae humanae tantum fuisse communicata negatio: quando Humanitas Christi assumpta est à VERBO. Ergo subsistētia, ex conceptu suo, non est pura negatio; licet sit adiuvante-

*va* negatio; quam in primo Physicorum explicui.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

Objicies primū. Si subsistētia esset realitas positiva, adveniret naturae, seu enti substantialiter completo; ergo constitueret cum natura unum *per accidens*. Atqui prima, & perfectissima substantia, non est ens per accidens; ergo, &c. Resp: D. A. adveniret naturae, tanquam terminus ultimā complens in ratione *suppositi*. C. A. tanquam pars intrinsecè componens naturam *precisè quā talem* N. A. & C. subsistētia est terminus substantialis intrinsecus, exclusivus alterius *suppositi*; sicut punctum est terminus exclusivus ulterioris longitudinis in linea; aut sicut linea est terminus positivus superficie, excludens ulteriore profunditatem, &c.

Objicies secundū. Subsistētia non est substantia; quia aliás procedetur in infinitum: debet enim terminari per aliam subsistētiam. nec est accidens; quia aliás non constitueret unum per se. ergo non est ens positivum; quia ens positivum adæquatè dividitur in substantiam, & accidens. Resp: Dist. A. non est substantia formaliter, & directè pertinens ad prædicamentum substantiae C. A. non est substantia

stantia reductivè, & indirectè pertainens ad prædicamentum substantiæ N. A. subsistētia est terminus substantialis substantiæ individuæ; terminus autem pertinet ad idem prædicamentum, ad quod pertinet illud, cuius est terminus intrinsecus. Cæterū subsistētia, naturæ hoc sensu est accidens: quodd accidat naturæ; potest enim ab illa separari.

Objic̄ies tertio. Effectus formalis substāriæ, est constituerē ens positivè per se: & nulli alteri inhārent. Atqui si subsistētia esset formalitas positiva, illius effectus formalis non esset facere ens per se, nulli alteri inhārent; ergo, &c. Min: prob: implicat, ut formæ inhārentis, effectus formalis sit facere non inhārent: siquidem effectus formalis non distinguitur ab ipsa forma; ergo, &c. Resp: D. Mihi si subsistētia esset formalitas positiva inhārent C. Min. si subsistētia esset formalitas positiva tantum adherens N. Min. subsistētia est ultimus terminus naturæ, complens eam, ac terminans in ratione suppositi. termini autem adherent, non inherent; adeoque termini intrinseci, in hoc cum formis conveniunt: quodd determinent formaliter; in hoc disconveniunt: quodd non habeant subjectum īhesionis (non enim componunt per modum partis) sed tantum subjectum adhesionis.


Objic̄ies quartio. Quandocunque aut vege-

ratu

tatur planta, aut nutritur animal, semper accipit novam perfectionem. Ergo semper mutat subsistētiam; ergo semper perdit aliquid, quod est de essentiā suppositi; ergo semper mutatur suppositum. Resp: cum P. Vasquez in 3. p. Disp: 32. Dist: ult: Illat: mutatur suppositum secundum sui terminum, & ut quo C. Illat: mutatur suppositum ut quodd, seu illa natura, quæ subsistit N. Illat.

Objic̄ies quintio. Humanitas Christi non careret ulla perfectione positiva, pertinente ad substantiam hominis; ergo subsistētia non est perfectio positiva. Relp: N. C. VERBUM assumpsit omnia, quæ pertinent ad substantiam hominis; prout hæc significat humanam naturam. Non dicitur Humanitas Christi carere perfectione ad substantiam hominis pertinente; quia VERBUM Divinum eminenter, ac perfectiore modo supplet id, quod faceret subsistētia creata;





## THESIS VIII.

**DEUM esse, & Unum esse, ratio demonstrat.**

*Ita Peripatetici, ac præsertim DD. Soci  
IESV Omnes.*

§. I.

*Probatur nostra Conclusio.*

**P**rimò argumento ex Physica desumpto,  
Etiam si accipiatur collectio infinitorum  
entium; si tamen nullum est extra illam collec-  
tionem, quod existat à se, necessariò: quod  
determinet illam collectionem ad esse; tunc  
nullum ens existet: quia nullum est in illa  
collectione, quod possit determinare se ipsum;  
alias esset, antequam esset. & singulis essen-  
tialiter convenit, quod sint indifferentia ad  
esse, vel non esse. Atqui quod convenit in-  
trinsicè, & essentialiter alicui ex collectione,  
hoc convenit toti similium collectioni; etiam  
in infinitum multiplicarè. sic licet homines  
in infinitum multiplicarentur, omnes essent  
discursivi; quia homo essentialiter est discursi-

VIII.

vus. ergo etiam tota illa collectio erit indiffe-  
rentis ad esse, & non esse. ergo semper manebit  
indifferens; nec unquam determinabitur  
ad esse potius, quam ad non esse; nisi admit-  
tatur aliquod ens à se, extra contingentium  
collectionem necessariò existens. sic mendici,  
etiam in infinitum multiplicati, non sient ex  
multiplicitate divites; nec stulti, sapientes;  
nec rustici, Reges, &c. ergo, &c.

*Probatur secundò argumentis moralibus.*

**P**rimù. Quia nulla Gens adeò fuit barba-  
ra, quæ non coleret Numen aliquod; ergo na-  
turali instinctu edocemur DEUM esse. Ac-  
cedit, quod in subitis necessitatibus homines  
passim naturali impetu D E U M invocent;  
Cœlum suspiciant, &c. Neque DEUM ne-  
gavit ullus, nisi vel atra bile in furem actus;  
vel vitâ, licet occultè, flagitosâ desperatus,  
timore Vindicti percussum, &c. ergo, &c.

**S**econdum. Voluntas, & intellectus, sunt  
potentiae inter se connexæ; ut probavi in Ani-  
mistica. Voluntatis autem objectum proprium  
est bonum: intellectus verum. ergo istæ  
potentiae non impediunt se invicem à sui perfe-  
ctione, & finis affectuione. Atqui si Athei-  
sinus subsistit, intellectus assequendo verum,  
impedit voluntatem ab affectuione boni: quia  
si propositio Athei vera sit: non datur DEVIS;  
volun-

voluntas rapietur in malum , sive in honestum ; & vicissim , si haec praepositio Athei : *Datur DEV S*, est falsa ; voluntas rapietur in amorem boni , seu honesti ; ergo , &c.

**Confirmatur.** Quamprimum intellectus proponit voluntati Ens Optimum, DEUM ; naturali inclinatione fertur in amorem Illius. quod patet eorum experientia , qui desperati , & flagitosi non sunt adeo , ut Vindicem horreant . voluntas autem non fertur in impossibile , seu malum , ab intellectu propositum ; ergo , &c.

**Tertium.** Aeneis Virgilij ; volumen Tulij , &c. concinnari non potuit , sine grandi studio sapientis animi ; ergo neque concinnus totius Universi ordo , temere potuit coalesce re , absque Sapientissima Providentiae Gubernatrixis Mente ; quæ ante mundum fuit : & quam DEV M dicimus.

Probatur tertid argumentis quoddammodo metaphysicis , ex Patre Antonio Perez deductis.

**Primum.** Ens simpliciter Optimum, in Suo quidditativo conceptu , dicit omnes , & solas perfectiones simpliciter simplices , hoc est : nulla imperfectione permixtas. Atqui existentia physica , actualis , necessaria , est perfectio simpliciter simplex , sine ulla imperfectione admixta ; ut per se patet. Ergo ens simpli-

citer Optimum, dicit in Suo quidditativo conceptu , physicam , actualem , necessariam existentiam. Atqui Ens simpliciter Optimum , vocamus DEV M ; ergo DEUS actu , physicè , necessariò , existit.

**Secundum.** DEUM vocamus Ens à Se , Nec essarium , Optimum , &c. Atqui existit Ens à Se , Nec essarium , Optimum , &c. ergo existit DEUS. Min. prob: si non existit Ens à Se , Nec essarium , Optimum , &c. sequitur : quod defacto omnia existant ab alio , sed esse , & dependere ab alio , eoque ad existendum indigere , est imperfectio ; ergo omne ens defacto existens , est imperfectum ideo : quia non est Ens à Se , Nec essarium , Optimum , &c. ergo si Ens Nec essarium , Optimum , &c. non existit : aut est chimæra ; tunc ideo omne ens defacto existens , est imperfectum ; quia non est Chimæra : aut quia existit. Ergo si chimæra esset : aut non existeret ; esset perfectum . quod repugnat in terminis.

**Tertium.** Singula entia defacto existentia , carent aliqua perfectione simpliciter simplici , si enim nullâ carent ; ergo singula omnem perfectionem habent ; ergo singula sunt DEUS. Sed carete aliqua perfectione simpliciter simplici , est imperfectio ; ergo omnia , & singula entia , defacto existentia , sunt imperfecta . ergo si Ens actu , habens omnem perfectionem

simpliciter simplicem, est chimæra, aut caret existentiâ actuali; tunc ideo entia defacto exsistunt imperfecta, quia non sunt chimæra, aut quia non carent actuali existentiâ. Ergo quod magis accederent ad chimæram, ed fierent magis perfecta. Ergo quæcunque fierent chimæra, aut carerent actuali existentiâ; fierent simpliciter perfecta. quod iterum in terminis repugnat.

Dices: Rationem primam eludi posse ab A. theo: Distinguendo Maj: conditionatè, si Ens Optimum existat physicè, in statu reali C. Maj. absolute, si tantùm existat logicè, & in statu objectivo N. Maj: Sed contrà: quidquid concipitur ab intellectu nostro, vel est à parte rei, vel non est à parte rei; inter contradictionia enim non datur medium. ergo dum concipitur Ens Optimum, vel est à parte rei, vel non est à parte rei. si est à parte rei? habetur intentum. si non est? ergo est solum in intellectu. si est solum in intellectu? ergo vel potest etiam esse extra intellectum, vel non potest etiam esse extra intellectum. Si non potest? est impossibile, seu chimæra; ergo Ens Optimum erit chimæra; ergo Atheus, dum concepit Ens Optimum, seu includens omnem, ac meram perfectionem, concepit chimæram; de cuius conceptu est non esse, summâque imperfectio. Infero etiam: ergo quod aliquid magis accederet ad chimæram, ed magis

magis accederet ad Ens Optimum, seu perfectissimum; eoque minus erit imperfectum, quod accederet magis ad summam imperfectionem.

Si potest etiam esse extra intellectum? ergo est possibile. si est possibile? vel est possibile necessariò, ut non possit non esse; & tunc adhuc habetur intentum. vel est possibile contingenter, ita ut sit indifferens ad hoc, ut sit, vel non sit; & tunc ratio Optimus erit idem cum ejusmodi contingentia, seu potentia, indifferente ad hoc, ut sit, vel non sit. Sed talis potentia ex conceptu suo dicit imperfectionem: quia dicit indigentiam, ac dependentiam ab aliquo determinante ad esse potius, quam ad non esse. Ergo Ens Optimum erit idem, quod ens imperfectum. Atqui haec repugnant in terminis; ergo, &c.

Dices secundò: Ejusmodi argumenta esse Sophistica; quia ijsdem probari potest existentia creature perfectissimæ: numeri finitorum maximi; ergo, &c.

Resp: Nego Ant: quia ly Ens, & ly Optimum, non sunt termini se se invicem evertentes; sicut conceptus perfectissimi, evertitur per conceptum creature; quæ essentialiter dicit imperfectionem: quia dicit dependentiam ab alio.

Dices tertio: Nomine Entis Optimi, Perfectissimi, Necesarij, &c. ab Atheis accipi posse infinitam entium collectionem; ergo S 2 nec-

ne cum probabitur D E U S ex eo, quod existat Ens Optimum, Necessarium, &c. Resp: Nego Aut, quidquid enim essentialiter reputat singulis entibus, hoc etiam repugnat collectioni eorum, ratio est: quia collectio, & aggregatio, tantum auget numerum; non autem mutat essentiam entium, neque enim potest mutari essentia entis, per aliquid sibi extrinsecum. Ergo cum singulis entibus repugnet esse Ens Optimum, Necessarium, &c. etiam repugnabit toti collectioni.

Concludo. D E U S Optimus Maximus, Unicus est. Ita Aristot: 12. Metaph: t. 44. D. Thom: 1. p. q. 11. a. 3. P. Franciscus Guar. D. 30. Met. S. 10. & cum ijs omnes tam Aristotelici, quam Orthodoxi.

Probatur primò. Si D E U S non est Unicus; nullus est D E U S. quod sic ostendo: si plures Dij essent, quilibet excluderet à se perfectiōnē simpliciter simplicem; quia quilibet eorum excluderet à se D E U M alterum: siquidem realiter ab altero distingueretur. Atqui omne ens, quod excludit à se aliquam perfectionem puram, hoc est: simpliciter simplicem, est imperfectum; ergo quilibet eorum esset imperfectus; ergo nullus eorum esset Ens Optimum, includens omnem, ac solam perfectionem, sine admixta imperfectione: id quod D E I nomine intelligitur; ergo nullus eorum esset D E U S.

Confirmatur. Inductione patet, in Excel- lenti simis quibusque id esse peculiariter & stimabile: quod nec parem habeant, nec superiorem; ergo si D E U S non esset Unicus, careret hac estimabilitatis perfectione; ergo nō esset Ens perfectissimum.

Confirmatur secundò. Perfectio est, sufficiere sibi, & alijs omnibus ad hoc, ut bene sint; imò ita esse necessariū, ut sine ipso alia esse nō possint. Atqui si darentur plures Dij, hanc perfectionem nullus ipsorum haberet; ergo nullus ipsorum esset ens perfectissimum, carens omni defectu; ergo nec esset D E U S.

Confirmatur tertiod. Quilibet D E U S, esset sufficiens suis, qui ab ipso dependerent (alijs eò ipso non esset D E U S, seu Ens perfectissimum) ergo omnes, qui ab ipso dependerent, illo solo essent contenti: nec alterius cuiuscunque beneficijs indigerent; ac proinde nihil ipsi deberent; ergo quemcunque alium D E U M sine injurya possent contemnere; ergo alias quicunque D E U S non esset Ens perfectissimum, nec omni defectu careret.

Confirmatur quartò. Quilibet D E U S esset Ens perfectissimum, summumque bonum, sibi sufficiens ad beatitudinem summam. ergo unus non indigeret consortio alterius: nec unus ab altero quidquam boni aut percipere, aut sperare posset; ergo alterum sine injurya posset

contemnere. aliud est de Tribus in Divinitate Personis ; quia unica est omnium natura & essentia : nec relatio, quā talis, ullam superad-  
dit perfectionem.

Confirmatur quintō. Quilibet DEUS es-  
set Ens Optimum , perfectissimum ; ac pro-  
inde quilibet eorum esset dignus, ut ab omni-  
bus toto conatu , totisque viribus æstimaretur  
ac diligeretur ; ergo exhaustis viribus in uno  
aliquo, nihil restaret virium , ad alterum vel  
æstimandum, vel amandum.

Probatur secundō. Vel quilibet DEUS es-  
set in voluntate sua , ac Omnipotentia, illi-  
mitatus adeò, ut independenter à consensu, ac  
voluntate alterius , libere omnia gubernare  
posset ; vel non esset ità illimitatus , ac inde-  
pendens . si esset ? ergo unus posset ab altero  
voluntate suâ dissentire ; fieretque , ut olim  
fixit Poëta ; cùm :

*Mulciber in Trojam, pro Troja staret Apollo:  
Æqua Venus Teneris, Pallas iniqua fuit.*

Si verò non esset ità illimitatus, ac indepen-  
dens, à consensu, & voluntate alterius ; cò ipso  
non esset perfectissimus , sed aliquomodo im-  
perfectus: quia careter aliqua perfectione sim-  
pliciter simplici ; adeóque non esset DEUS.

Probatur tertio. Non possunt esse plures  
Dij , genere , aut specie distincti; quia alias  
nullus

nullus eorum, in essentia sua , omnem inclu-  
deret perfectionem. sed nec possunt esse nu-  
mero tantum distincti ; quia Essentia Divina ,  
est Actus purus ; adeóque essentialiter actu in-  
cludit, quidquid ad existentiam Ejus pertinet ;  
ergo essentialiter includit singulatatem ; er-  
go Essentia Divina essentialiter est Incomuni-  
cabilis pluribus , ac proinde numerò Immulti-  
plicabilis ; ergo DEUS essentialiter est Uni-  
cus.

Atque ità Deus Optimus Maximus, & U-  
nicus, sit finis ultimus, in quo conquietat tri-  
enal labor meus. sit Centrum unicum, in quod  
omnis Philosophiae niae linea terminetur. Sa-  
nè ! omnes studiorū curae, ināes sunt, nullae sunt;  
nisi illis , veluti totidem circulis ( quos vul-  
gus nullas vocat ) unus DEUS præfigatur.

Adscribo Lemma, quod ultimum  
scribo :

**Valor omnis ab Uno est.**

**A. M. D. G.**





## INDEX THESIUM

Ex Libris de Mundo &amp; Cælo.

- Thesis I. Non repugnat existenti Mundo, quem incolimus, coexistere plures alios ; sive numero, sive specie diversos. pag. 1.
2. Mundus non exitit ab aeterno ; sed creatus est in, & cum tempore. 10.
3. Mundus quoad res permanentes, probabilitus non potuit existere ab aeterno. 21.
4. Implicat, ut Mundus, quoad entia successiva (motum Solis e. g.) fuerit ab aeterno. 31.
5. Cælum non est corpus simpliciter, ea simplicitate, que excludat compositionem ex subiecto, & actu ; materia scilicet, & forma. 38.
6. Cælum componitur probabilitus ex materia diversa rationis à materia sublunari. 42.
7. cœli probabilitus sunt naturaliter incorruptibiles, hoc sensu : quod forma Cœlestis, per formam novæ generationem naturaliter expelli nequeat. 49.
8. Angeli movent Cœlos per virtutem, quam illis

## Index Thesium.

illi ad corpora loco movenda habent, vel imperij applicatam. 59.

9. Corpora Cœlestia operantur varios effectus in subiunariis. 71.
10. Astra non influunt per se, ac immediate, in ullam substantiam spiritualem ; nec in voluntatem, aut intellectum hominis, influunt tamen in hunc, & illam, per accidentem, mediae, ac indirecte. 77.
11. Ceteris paribus, corpora in gravitate imparia, & impari velocitate moventur deorsum ; graviora namque velocius, minùs gravia tardius. 87.
12. Probabilitus corpus projectum, à projiciente (ut causa motus principali) separatum, ferrur cum à qualitate physica corpori projecto impressa : tum ab aëre, impetu projicientis commoto ; ob periculum vacui seje retrahente, & corpus projectum quatenus adiungente. adeoque probabilitus sunt due causæ, partiales, instrumentales, illius motus, quod corpora projecta feruntur. 94.

Ex Libris de Ortu &amp; Interitu.

- Thesis I. Quantitas non necessariò recipitur in toto composto, ut subiecto inhalusionis. pag. 104.
2. Accidentia reliqua, pro generatione substanciali

## Index Thesum.

- tiali dispositiva, recipiuntur in materia;  
sed intermedia quantitate. 120.
3. In generatione substantiali, non omnia per-  
unt accidentia, quae fuerunt in corrupto;  
adeoque non datur resolutio usque ad ma-  
teriam primam. 128.
4. Una substantia generat alteram, median-  
ibus accidentibus, ut virtute instrumen-  
tali. 143.
5. DEVS, utpote Causa Prima Infinita Perfe-  
ctionis, determinat efficaciter ad individuum effectus; id est: producit hancitatem,  
ac perfectionem individualem effectus; vi  
cujus ipse opponitur imperfectioni, cuiuslibet  
alterius entis creati, ac limitati; adeo-  
que non datur series effectuum. 163.
6. Alteratio per se, & ex natura sua, est motus  
continuus: nec ullis temporarijs morulis  
interpolatus, ac discretus. 176.
7. Intensio formaliter, est additio gradus, seu  
partis heterogeneae ac dissimilis, ad partem,  
seu gradum ejusdem in specie qualitatis.  
182.
8. Simile non potest agere in similiter intensum,  
illud magis intendendo. 212
9. Raritas formaliter, est magna dimensio mo-  
dis & quantitatua physica; densitas vero mo-  
dica dimensio multa quantitatis physica;  
adeoque raritas, & densitas, sunt effectus  
forma-

## Index Thesum.

- formales secundarij quantitatis physicae; de-  
terminantes corpus ad hanc, vel illam ex-  
tensionem localem. 222.
10. Elementa non insunt actu, & formaliter (id  
est: secundum suam formam substantia-  
lem) corporibus mixtis. 240.
- Ex Libris de Anima.
- Thesis I. Vivere, seu vita in actu primo, est  
substantia potens seipsum agere, seu move-  
re etiam ad terminos oppositos: vita in actu  
secundo, est ipsa operatio, seu exercitium  
substantiae vitalis. 250.
2. Probabilitus sanguinis (idem à potiori est de fla-  
via, & atra bile, ac pituita) non anima-  
tur. 255
3. Potentia vitales, seu facultates proxima o-  
perandi vitaliter, distinguuntur tum inter  
se, tum ab anima realiter. 266.
4. Probabilitus anima brutorum perfectorum  
non sunt divisibilis in partes integrales, ac  
quantitativas. 281.
5. Anima rationalis est spiritus. Ratio autem  
formalis spiritus, est immunitas à materia  
& quantitate. 298.
6. Anima rationalis ex natura sua est immor-  
talis: estque vivens incorruptibile. 309.

## Ex Metaphysica.

Thesis I. Ens possibile, antequam actu produ-  
catur,

Index Theium.

- entur , nihil est in se intrinsecè , ac realiter ,  
atque adeò passiva possibilitas creatura , &  
terna , ac necessaria , est denominatio puri  
extrinsecæ , intentionalis ; proveniens ab I-  
dea , ac Omnipotencia DEI , ut productio  
creatura . 320 .
2. Essentia extra causas posita , non distinguunt  
realiter ab existentia . 332 .
3. Nec ens à differentijs , nec differentia ab ente ,  
præcisione perfectâ , abstrahi possunt . 350 .
4. Ens non est univocum , sed est tantum ana-  
logum , respectu DEI , & creature ; sub-  
stantia , & accidentis . 363 .
5. Unitas formaliter consistit in positivo ; non in  
superaddita enti negatione , seu carentia .  
376 .
6. Distinctio consistit formaliter in ente , ut ex-  
clusivo alterius : non autem in superaddi-  
ta negatione , seu carentia . 384 .
7. Subsistentia est terminus positivus , nature  
realiter superadditus . 400 .
8. DEVM esse , & Vnum esse , ratio demonstrat.  
406 .

FINIS.



